BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVI
E.
4
NAPOLI

XXVI
E.
4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI IOSEPHI MERONI

AD

AVLAM DAVIDICAM

IN

PSALMO CENTESIMO

DESCRIPTAM

EXERCITATIONES

SIVE

DE

OPTIMO PRINCIPE

LIBER VNVS.

ROMAE MDCXXXVII.

Stephanus Paulinus excudebat.

Facta a Superioribus poteſtate.

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.

A. Torniellus Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apoſtolici Magiſter Ord. Præd.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
VINCENTIO
IVSTINIANO
IOSEPHI F.
MARCHIONI BASSANI

PAVLVS IOSEPHVS MERONVS S. D.

NEGANT *Philoſophi , MARCHIO VINCENTI IVSTINIANE , ab illo nos perfecte amari , qui nullum amoris indicium dare velit . Quoniam enim homo ex animo conſtat , & corpore , vt pars vtraque officio ſuo ſungatur, conſentaneum eſſe aiunt . Id ſi ita eſt ; qua ego tandem voluntatis erga te meæ, ſtudijque teſtificatione vtar ? Certe*

——— neque tu peſſima munerum
Ferres , diuite me ſcilicet artium ,
Quas , aut Parrhaſius protulit, aut Scopas :
Hic ſaxo , liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere , nunc Deum .
Sed non hæc mihi vis .

Horat. Carm. lib.4. Od.8.

Digitized by Google

Quid? Vt hæc ſit mihi vis: quantulà tamen munera iſta ſunt, quæ tu ipſe (Ariſtonis dicto illo in medium prolato. Quid inter nos, & pueros intereſt, niſi quod nos circa tabulas, & ſtatuas inſanimus carius inepti, illos reperti in littore calculi leues, & aliquid habentes varietatis delectant?) *traducere non dubitas? Et vero cum pictarum tabularum, ſtatuarumque miram domi, & in ſuburbanis tuis hortis copiam habeas, eam nihilominus, & perraro viſis, & non tanquam tuam, ſed alienam aſpicis. Memini profecto cum aliquando tibi, Sancti Patris Aſterij, terrena iſta omnia, quæ Vulgus hominum ſuſpicit, & admiratur, cum arbore, ſub qua alij, atque alij ſubinde viatores ex itinere feſſi recubant, comparantis, dictum recitarem; dixiſſe te, quicquid haberes, id eodem plane loco tibi eſſe, quo eiuſmodi arbor viatoribus eſſe ſolet. Sic tu quidem. Nempe non ex Tragœdia modo, & Hiſtoria, ſed ex domeſtico etiam exemplo, quam incerta, & caduca ſit bonorum terrenorum poſſeſſio, didiciſti. Didiciſti (inquam) cum Chium Inſulam celeberrimam, quam Familia tua iure optimo poſſidebat, a Turca occupari vidiſti, vixque quadriennis, auita poſſeſſione exturbatus, vna cum* BENEDICTO *fratre tuo, quem Cardinalem, ac magnum ſane Cardinalem, & cum*

Senec. ep.115.

opti-

Digitized by Google

optimis quibuſque comparandum, Orbis coluit, in communem hanc Patriam aſportatus es. Tali porro exemplo, iam inde a teneris annis edoctus, quidni terrenas omnes diuitias, res quippe viciſsitudinibus obnoxias, tanquam non tuas, ſed alienas, & ad breue tempus tibi commodatas, aſpicias? Faceſſant itaque tabulæ, marmoraque iſta, & voluntatis meæ ſignum, quod animi, non corporis oculos teneat (quo ſane genere maxime delectari videris) accipe. Ecce tibi haſce meas ad PSALMVM CENTESIMVM *in quo* DAVID *ſuam ipſius* AVLAM *deſcripſit,* EXERCITATIONES, *Illuſtriſsimo Nomini tuo conſecratas. Hæ, quales quales ſunt, meæ in te obſeruantiæ teſtes ſunto. Rogarem te, vt eas, pro tua humanitate, hilari fronte accipias, legaſque, niſi ſæpiſsime ex te audirem, nihil tibi nunc eſſe iucundius, quam, vel aliquid legere, vel audire. Hoc te quidem etiam atque etiam rogo, vt tibi perſuadeas, me in te colendo, nemini vnquam conceſſurum. Vale. Romæ Kal. Iulij* MDCXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MI LECTOR
PAVCIS TE VOLO.

DECRETVM mihi erat, Græcorum, Latinorumque Auctorum teſtimonijs quampauciſſimis, interrumpere huiuſce ſcriptionis meæ filum. Morem enim illorum valde probabam, qui alienam doctrinam perinde ſuam facere ſtudent, atque cibos in ſuccum, & ſanguinem noſtrum conuertimus. Sed viri docti, quorum ſane iudicio plurimum tribuo, mihi perſuaſerunt, vt irem, qua ducit ſæculi huius noſtri conſuetudo. Etenim crebra clarorum virorum teſtimonia, atque adeo verba ipſa hodie pleroſq. in libris non minus delectant, quam in vaſis aureis, & argenteis emblemata. Hoc te ſcire volui, vt ſi forte tu ex paucorum illorum ſis numero, qui ſeriem ſermonis alienis verbis diſtrahi ægre patiuntur; vermiculatum iſtud (vt ita dicam) ſcribendi genus, quo me amici vti voluerunt, æqui bonique conſulas. Quid ego te rogem? Num ſolemne illud, operi huic meo, vt bene faueas? Non rogo; quippe qui ſciam hominum iudicia, linguaſque ne minis quidem grauiſsimis cohiberi ſolere, ne dum precibus. Quæ igitur te mens dicere iubet (modo ne quid vltra crepidam) ea, ſiue intra domeſticos parietes, ſiue in publico, libere dicito. Si reſciero, non moleſte feram, immo habebo gratiam. Fuit nuper, qui Aulam Dauidicam ex Pſalmo centeſimo deſcriptam, mancam, & imperfectam eſſe cenſeret,

A proin-

Digitized by Google

proindeque diceret, oportere, vt dicta, factaque tanti Regis vndecumque colligantur, ſicque Principibus latior ad magnæ virtutis imitationem aperiatur campus. Quaſi vero ea omnia, quæ Dauid cum priuatus, tum Rex dixit, geſſitque, nemo vnquam attigerit. Certe tam multa complures, ijque doctiſſimi viri, de ipſo conſcripſere, vt ſi eadem iterare, atque inculcare velim, timendum mihi ſit, ne quis libro meo Pindaricum hoc occinat

—— κόρον δ' ἔχει
Καὶ μέλι, καὶ τὰ τέρπν' ἄνθε' Ἀφροδίσια

Satietatemq. habent, & mel, & amæni Veneris flores. Quidni tamen hominis, vberiorem virtutis materiam idcirco deſiderantis, vt Principum famæ, publicæque ſaluti melius conſulerem, iudicium, ac monitum in bonam partem acciperem? Alter quidam cum Dauidicam Aulam, ſiue de optimo Principe librũ iam iam proditurum inaudiſſet, non ſine magno faſtidio exclamauit, Quouſque eadem! Quouſque fercula iſta rerum politicarum inferentur! Si ſcitum quippiam, exquiſitumque, cuiuſmodi ſunt Nuncij ex Parnaſſo non ita pridem ad nos perlati, & Argenis Barclai, appararetur, illud ſane quam libenter, auideque deuorarem. Nunc, quando non niſi fere crambe recocta infertur. apage rem inſuauem; apage palati mei peſtem. Mirum quod Herculem ἀλεξίκακον, qui palati peſtem longius propelleret, non implorarit. Equidem non damno; quin potius laudo auctores, qui, vt ægrotantibus & ſolidum quodque faſtidientibus ingenijs medicinam facerent, miſcuerint vtile dulci. Sed iſti λόγοι (v

verum

verum fatear) nec me, vtpote Sacerdotem decent,nec materiem, quam ſumpſi. Ego nimirum Aulam non Apollinis fabuloſi, ſed veri, diuinique Regis Dauidis; non ex monte Parnaſſo,ſed ex monte Syon produco. Ea, vt eſt antiqui moris,cum nihil niſi ſimplex,& modicum ſuis conuiuis apponit, ſe a delicatis iſtis faſtidiri adeo non curat, vt ipſa ſibi magnopere in eo placeat, quod talibus hominibus diſpliceat. Ceterum, & iſtiuſmodi delicatorum faſtidium res plane inutilis, opinor,non eſt. Gręcos enim,Latinoſque nonnullos ad Mileſias conſcribendas,olim hodieque impulit,non ſecus, quam faſtidiens quorundam gula exacuit Apiciana ingenia. Quam iſti duo de hoc meo libro nondum ab ſe inſpecto, ſententiam tulerint, dixi. Non deerunt etiam, (ſcio) qui, vt ſunt varia, eaque libera hominum de rebus alienis iudicia, ſubinde inter legendum alia deſideraturi ſint,alia repręhenſuri. Nempè ὐκ οἶμαι τινα ὅτος εὐτυχῆ γραφὴν ἡγῦσθαι (hoc enim & ego ſentio,quod Clemens Alexandrinus) ᾗ μηδεὶς ἀντερεῖ *Nullam ſcripturam tam fortunatam procedere puto, cui nullus contradicat*. Quamquam ſifriuola mea non tanti erunt, vt cuiuſquam iudicio probari mereantur, auream certe veterum,illuſtriumque Virorum ſupellectilem, quam, vt exponerem, ab amicis mihi perſuaſum eſt, iure improbauerit nemo. Atque hæc prolocutus, en Aulam ipſam Dauidicam (Auſpice Deo) ingredior.

PSAL-

PSALMVS IPSI DAVID.

MIſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.

Pſallam, & intelligam in via immaculata: quando venies ad me?

Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ.

Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam facientes præuaricationes odiui.

Non adhæſit mihi cor prauum: declinantem a me malignum non cognoſcebam.

Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.

Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum; ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

IPSI

Digitized by Google

IPSI DAVID PSALMVS.

TITVLVS ET SCOPVS PSALMI CENTESIMI.

CAP. I.

PSALMVS, qui apud Hebręos ordine Centeſimus primus eſt, apud Septuaginta vero Interpretes, ex quorum fonte, Latina, qua vtimur Pſalmorum tranſlatio vetus deriuata eſt, Centeſimus, ita inſcribitur לדוד, τῷ Δαβὶδ ψαλμός, *Ipſi Dauid Pſalmus*. Sane ſi B. Gregorio Nyſſeno credimus, ideo Pſalmi aliquot inſcribuntur Dauidi, ὡς ἂν διὰ τούτου μάθοιμεν, ὅτι εἰ καὶ κατ' ἐκεῖνον γενοίμεθα, τότε καὶ ἡμεῖς τὴν τοῦ αἰνεῖν τὸν θεὸν παῤῥησίαν ληψόμεθα: *Vt diſcamus nos tunc Dei laudandi ius, libertatemque conſecuturos cum illi [Dauidi] ſimiles euaſerimus.*

S. Gregorius Nyſſ. tractat. ſec. in Pſalm, c. 3.

Ipſe igitur titulus eos, qui populis imperant (iis enim in hoc Pſalmo pręcipue canitur) ad optimum eum Regem imitandum excitat, qui, ſiue Salomoni filio, ſiue quibuſuis Principibus recte viuendi, recteque imperandi normam dare volens, quomodo ipſe ſe gerat, quid caueat, quidue ſequatur, quomodo familiam ſuam, regnumque adminiſtret, paucis declarat. Breue nimirum, & efficax ad virtutem iter eſt per exempla, ſpe mortalium animos ad pręclara quęque conſectanda, inuitante, ac ducente. Quotus enim quiſque eſt, qui ſi gloriæ ſtimulis incitatus,

tatus, virum quempiam ſibi ad imitandum proponat, non illud ipſum ſe tandem aſſecuturum ſperet, quod ſui ſimilem hominem aſſecutum videt?

MISERICORDIAM ET IVDICIVM CANTABO TIBI DOMINE.

A CLEMENTIA EXORDIVM APTISSIME DVCITVR.

CAP. II.

A Miſericordia,& Iudicio, hoc eſt a Clementia, qua ſane virtute mirifice ornantur, ac firmantur imperia, pſalmum ſuum aptiſſime Dauid auſpicatur. Virtutis huius officium, quod certe quidem in pœnis, quæ ſontibus debentur moderandis verſatur, Miſericordiæ, Iudicijque iſta coniunctio ſignificat, nam חסד *Miſericordiam*, משפט *Iudicium, poenam, ſuppliciumque* ſonat.

Quamquam hoc ipſum nomen משפט, quod, quia ſupplicij metu nos terret, durum admodum primo aſpectu videtur, ſi propius inſpexerimus,benignum profecto eſſe fatebimur; quidni enim nomen illud benignum eſſe fateamur, quo Ieremias pro menſura, moderationeque pœnarum, pro ipſa, inquam, Clementia vti ſolet? Sic nimirum ait cap. x. *Corripe me Domine, veruntamen in Iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me*. Pro *In Iudicio*, hebraice eſt במשפט *In menſura*. Et cap. xxx. *Te autem non faciam in conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio*, hoc eſt clementer.

Iudi-

Iudicium iſtud, menſuram, ac moderationem, pœnarum noſtri *Aequum bonum*, Gręci τὸ ἐπιεικές vocāt. Eſt autem ἐπιεικὲς ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου, *correctio legis, qua ex parte aliquid ei deeſt, propterea quod vniuerſe loquitur*. Leges porro corrigere non cuiuſuis Iudicis eſt, ſed ſummi Principis. Recte quippe Themiſtius. ἄλλη μὲν δικαστοῦ. ἄλλη δὲ βασιλέως ἀρετή, καὶ τοῦ μὲν προσήκει ἕπεσθαι τοῖς νόμοις, τοῦ δὲ ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν καὶ ἀμείλικτον παραδεικνύναι, ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι, καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις καὶ ἀσαλεύτοις. *Alia quidem Iudicis, alia vero Regis virtus eſt, illi ſequendæ ſunt leges, huic & corrigendæ, earumque ſæuitia, duritieſque declaranda, quippe qui viua lex ſit, non in fixis litteris poſita*. Ac ſane quoniam qui peccant, ij, aut puniendi ſunt, vt emendentur; aut, vt ipſorum exemplo, ceteri a ſimilibus peccatis deterreantur; aut, vt, ſublatis facinoroſis, publicę conſulatur ſecuritati; ſpirans iſta lex, & æqui boni amans, criminum, perſonarumque ratione habita, leges non ſecus ad res accommodat, ac ſtructuræ lesbiæ regula plumbea ad lapidis figuram inflectitur. Talis vero ac tanta cum ſit ſpirantis, ac viuæ Legis vtilitas, mirum non eſt quod Themiſtius has voces miſerit, διὰ τοῦτο γὰρ ὡς ἔοικε, βασιλείαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατέπεμψεν εἰς τὴν γῆν ὁ θεός, ὅπως ἂν εἴη καταφυγὴ τῷ ἀνθρώπῳ ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀκινήτου ἐπὶ τὸν ἔμπνουν καὶ ζῶντα. *propterea enim, vt videtur, regiam poteſtatem Deus è cœlo in terram tranſmiſit, vt ab immota lege, ad ſpirantem, & viuam homini perfugium foret*.

Ariſt. Eth. lib. 5. c. 10.

Themiſt. ora. 5. De Theodoſij Imp. humanitate.

Themiſt. ibidē

DEI CLEMENTIA ERGA IMPROBOS DE QVIBVS BONA SPES EST PRINCIPIBVS IMITANDA PROPONITVR.

CAP. III.

CEterum non hominis Miſericordiam, & Iudicium ſe celebraturum, inquit Dauid, ſed Dei, vt nimirum, perfectiſsimo virtutum exemplari propoſito, certam Clementiæ viam imperantibus monſtret. Enimuero Deus inſtar Medici, qui dum luxata membra ſuo loco reddit, ore quidem blanditur ægrotanti, at manu eidem dolorem vtilem affert; homines, quos, nec beneficia, nec ingentium premiorum promiſſa, nec leges, nec minæ in officio continere potuerunt, benigna quadam ſeuitia corrigere ſolet. Diuinum hunc morem eleganter expreſſiſſe mihi videtur Philo Iudæus: ſiquidem vir † θεωρητικώτατος cum quæreret, cur Moſes in exemplis diuinæ Iuſtitiæ in primos noſtros Parentes editis commemorandis, has voces DOMINVS DEVS copulauerit. (nam in Gen. c. III. *Vocauit,* ſcriptum eſt, *Dominus Deus Adam. Et dixit Dominus Deus ad mulierem. Et fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis*) eas ideo copulatas docet, vt intelligamus miſceri ſolere a Deo ſeueritatem lenitate. Priori namque voce potentiam imperij, altera beneficentiam deſignari, haud dubium.

Philo Iudæ. lib. de Plant. Noe & lib. Decalo. v. Tertullia. ad ver. H.rmog. cap 3.

† Sic eum appellat S. Iſidorus Peluſ. Epiſ. 89. lib. 3.

Et quidem nonne Dominus Deus miſcuit ſeueritatem lenitate, nō pœnam indulgenter temperauit, cum Parentes iſtos noſtros, qui φυγάδας γενέσθαι

ſvtar

(vtar verbis Leontij) ϗ τοῖς φθάσασι προσθέντες ϗ ἄλλο πλημμέλημα· τόπῳ ἐκεῖ ἐλογίζοντο τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπίσκεψιν. *fugientes, & prioribus peccatis alterum adiungentes, cogitauerunt Dei præſentiam loco circumſcribi*, quæſiuit? Sane vero. *Nam & quod requiritur homo, non ex ignorantia venit* (ait vetus quidam Auctor) *ſed ſpem hominis futuræ in Chriſto, & inuentionis, & ſalutis oſtendit*. Non clementer admodum egit, cum eoſdem patienter interrogauit? cum conuictos, atque ad huius vitæ miſerias damnatos, non prius eiecit ex Paradiſo, quam tunicis pelliceis, quibus nimirum aeris intemperies arceretur, veſtiuit? *Cum tranſtulit maledictum in terram* (verba Irenæi) *vt non perſeueraret in homine*? Certe non ita egit cum ſerpente, cuius nempe deſperata erat ſalus.

Leontius Epiſ. Arabiſ. ſer. de Creat. & Lazaro apud Photium.

Nouatianus lib. de Trinit.

S. Iren. lib. 3 cap. 35.

Illa ipſa ex Paradiſo eiectio: ipſa Mors, quæ quidem maxima diuinæ iræ argumenta eſſe videntur, plus habuere (ſi veteres Patres audiamus) miſericordiæ, quam ſeueritatis. *Eiecit eum* (Adamum) *de Paradiſo* (pie docteque S. Irenæus) *& a ligno vitæ longe tranſtulit, non inuidens ei lignum vitæ, quemadmodum quidam dicunt, ſed miſerans eius, vt non perſeueraret ſemper tranſgreſſor, neque immortale eſſet circa eum peccatum, & malum interminabile*. Quemadmodum vas aliquod, ſi minus ad animum artificis reſpondet, iterum funditur; οὕτω (inquit Theophilus Epiſcopus Antiochenus) γίνεται ϗ τῷ ἀνθρώπῳ διὰ θανάτου· δυνάμει γὰρ τέθραυσται, ἵνα ἐν τῇ ἀναστάσει ὑγιὴς εὑρεθῇ, λέγω δὲ ἄσπιλος ϗ δίκαιος, ϗ ἀθάνατος. *Ita homini per mortem accidit. Nam potentia* (Dei) *confractus eſt, vt inueniatur in reſurrectione ſanus, incorruptus, inquam, iuſtus, & immortalis*. Hoc ipſum Hilarius, Hieronymus, Nazianzenus, Chryſoſtomus, & alij docuerunt.

S. Iren. lib. 3. cap. 37.

Theophi. Antio. lib. 2. ad Autoly.

S. Hilar. enar. in pſal. 68.

S. Hier. in c. 65. Ila.

S. Greg. Naz. or. 38.

S. Chryſoſt. hõ. 26. in c. 8. Gen.

DEI

DEI CLEMENTIA ETIAM ERGA IMPROBOS DEPLORATAE SPEI.
CAP. VI.

QVid? quod indulgentiſſimus Pater, ne tum quidem cum duritiam flecti neſciam frangit, vltimæque nequitię vltimum ſupplicium infert, clemens eſſe deſinit? Nimirum *Dominator virtutis cum tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia diſponit nos, ſubeſt enim ei cum voluerit poſſe*. Licet, inquam, infinitæ potentiæ ſit, nihilominus tamen clemens Iudex eſt, hominemque, vtpotè ſui vultus imaginem, quamquam criminum cœno fœdatam, indulgenter tractat, reuerenterque.

Sap. 12.

Fulmina illa, imbris in morem, è cœlo in Sodomæos miſſa (hoc vnum ex innumeris, quæ ſuppetunt, exemplis proferam) ſi recte conſideraueris, vtique non miſſa, ſed ex Iuſtitiæ manibus extorta fateberis. Quid enim? An non diuinam iram obdormiſcentem, vt ita dicam, inermemque ſceleratiſſimi magnis clamoribus excitarunt, eamque ſuis in ſe ipſos manibus armarunt? An non ignem, quo perirent ipſimet accenderunt? *Deus* (ait Saluianus) *eos noluit perdere, ſed ipſi extorſerunt, vt perirent*. Et idem auctor, locum illum Iſaiæ *Ecce vos omnes accenditis ignem*, explicans. *Diu profecto flagitioſiſſimus ille Populus ignem illum accenderat, quo peribat, & ideo, completis iniquitatibus ſuis, arſit flammis criminum ſuorum*. Scire vis, quam verum ſit, impios iſtos exterſiſſe, vt perirent, & ignem, quo conflagrarent accendiſſe? Quæ ante fulminum iactum a Deo, a duobus illis Angelis in Pentapolim profectis, ac demum a Lotho geſta ſunt; ea tibi in memo-

Saluianus Maſſil. lib. 1. de Gub. Dei. Iſa. 50.

moriam reuocato. Quorſum, obſecro, pijſſimum Numen ſui pectoris arcanum Abrahamo, quem certe quidem Pentapolitarum interitum deprecaturum norat, aperuit; niſi vt aliquam ſuæ pietatis diuitias fundendi occaſionem quæreret? niſi vt promitteret, ſe neminem ſceleſtorum illorum (ſi modo ſaltem decem iuſti reperirentur inter eos) deleturum?

Angelorum autem mirum quanta lenitas fuit, quanta patientia! Diceres ad extinguendum, non ad excitandum incendium eos aduolaſſe. Sane quod palam Vrbem ingreſſi ſunt, quod cænarunt, noctemque transfegerunt in domo Lothi, id vero improborum potius illorum, quam Lothi gratia factum libenter mihi perſuaſerim. Nam ſi non eſt ita, cedo cur omnibus conſpicui facti ſunt? cur cænando, cur ſermonibus miſcendis, cur cubando, noctem extraxerunt? An illis quicquam impedimento eſſe poterat, quominus Lothum, eiuſque familiam clam, ocyſſimeque alio deducerent, raperentue? Iſthac tot horarum periodo ijs (credo) erat opus, quos propter miram agendi vim, celeritatemque, Dauid *ignem vrentem* vocat, & a quibus Enoch, Eliam, Abachuch, Philippum, alioſque nonnullos raptos legimus. Pſal. 103.

Iam cæcitas, qua effrænatos, & petulantes illos, qui domum Lothi vallauerant, pæneque fores effregerant, percuſſere, mentiar niſi præclarum Miſericordiæ argumentum fuit, ſalutareque collyrium.

Id, quantum quidem intelligo, arguunt hęc verba *Percuſſerunt cæcitate a minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent:* hoc eſt vt ab incœpto deſiſterent, ac furere deſinerent. Plane hoc ſpectabant Angeli, vt homines libidinoſiſſimi, corporis oculis, vtpote præferuidis veſanæ cupiditatis Gen c.19.

duci-

Digitized by Google

ducibus amiſſis, mentis oculos aliquando aperirent, rectumque feriæ pœnitentiæ iter capeſſerent.

Quid opus eſt verbis? Illud monitum Lothi: *Nolite, quæſo, fratres mei, nolite hoc malum facere*; quis neget, a Spiritu Sancto datum, cuius hæ aſſiduæ voces *Derelinquat impius viam ſuam*? Illa eiuſdem Lothi cunctatio, illa diſſimulatio, mea quidem ſententia, non tam Lothi, quam ipſius Dei fuit. Quippe Deus in illo viro cunctari, ac diſſimulare quodammodo voluiſſe viſus eſt.

Isa.c.55.

Porro, hiſce omnibus remedijs fruſtra conſumptis, iure tandem ad vſtionem, quę orbem monſtroſa, obſtinataque obſcęnitate commaculatum perpurgaret, ventum eſt. Iure vltricibus flammis arſerunt, qui diuina patientia diu abuſi, ſcelera ſceleribus accumularant. Quamquam caue putes, ſulphureum imbrem in iſtos Dei, Naturęque hoſtes cecidiſſe ſine rore. Lege Philonis librum de Abrahamo, intelligeſque ex tribus illis Angelis, qui ad Abrahamum diuerterant, duos in Pentapolim iuiſſe, vt per alterum quatruor Vrbes incendio perderentur, per alterum vna ſeruaretur incolumis, atque ita ſeueritas lenitate miſceretur. Intelliges etiam, diuino conſilio factum fuiſſe, vt tertius Angelus, quo ILLE QVI EST deſignabatur, vna cum duobus alijs ad execrandam illam regionem ire noluerit. Nempe ſumma illa Bonitas, morem hominum ſecuta, qui earum rerum, quibus anguntur aſpectum vitare ſolent, palam fecit, quam inuita de hominibus, nouiſſima licet exempla meritis, pœnas repetierit.

Duo abeunt, ſed qui reſidet & Dominus & Deus eſt. S Hilar. lib. 4. de Trin.

Viden, Chriſtiane Princeps, q*uam bonus & ſuauis eſt Domini Spiritus in omnibus*? Viden, quam beneficum tibi exemplum Dauid ad imitandum proponit?

Sap. 12.

nit? Agedum itaque hæc tecum reputa. Ego ex omnibus imperij mei hominibus eo diuinitus euectus ſum, vt diuina imago, mortalis quidem Deus, & Prouidentia in terris degens, oculiſque ſubiecta corporeis habear, vocerque. An igitur ero nomen inane, & Furias potius, quam Deum, ad cuius nimirum exemplum componi debeo, referre ſtudebo? Si Regum omnium ille Rex, qui ad firmandum imperium ſuum non eget Clementiæ præſidio, hominem, pro ſua bonitate, molliter ſibi, atque adeo reuerenter tractandum putat; Ego ne, cuius magnitudo tamdiu ſtabilis eſt, quamdiu nititur amore populorum, impotenter potentia vtar, & Clementia, qua haud dubie *Regis thronus roboratur*, contempta, Crudelitate, ingentium ſcilicet malorum ſeminario, in meam ipſius perniciem delectabor? Hæc tecum ipſe. Prou. 20.

PSALLAM.

DAVID MVSICEN AD PIETATEM TRADVXIT.

CAP. V.

NOn ore tantum, inquit Dauid, Miſericordiam, Iudiciumque Dei canam, ſed & manu. Quidni vero is manu canat, qui, vt docet Origenes, interpretatur ἱκανὸς χειρὶ *manu idoneus*? Certe quam fuerit manu idoneus religioſiſſimus Rex Dauid, ex eo perſpicuum fit, quod, Pſalterio ca- Orige. in illa verba Beati pacifici. in Philocal.

nens, non ſuis modo hominibus profuit, ſed etiam exteris.

Terpandrum antiquum Muſicum Græci laudant, quod harmonia Dorica ad barbari pſalterij, quippe antiquiſſimi, ac τὸ σεμνὸν τοῦ μέλους, *modorum honeſtatem, & grauitatem* oſtendentis, exemplum conformata, Iouem in hunc modum celebrauerit.

Clem. Al. ſtro. lib. 6.

Ζεῦ πάντων ἀρχὰ πάντων ἁγήτωρ
Ζεῦ σοὶ πέμπω ταύταν ὕμνων ἀρχάν.
Iupiter omnium principium, Dux omnium.
Hoc hymnorum principium ad te mitto Iupiter.

Atqui pſalterium iſtud barbarum non aliud profecto extitit, ſi Clementem Alexandrinum audiamus, niſi Dauidicum. Nempe Dauid πόθῳ θείῳ πυρούμενος, τὰ πρὸς ἀσέλγειαν τοὺς ἀνθρώπους ἐκκαίοντα (verba Procopij de inſtrumentis muſicis loquentis) μετέβαλεν εἰς εὐσέβειαν μέλος ἐνάρθρου φωνῆς ὕμνοις θείοις ἐγκεράσας. ὡς ἂν τὴν μὲν αἴσθησιν διεγείρῃ, τὸ μέλος τὸ δὲ νόημα μετ' αὐτοῦ τὸν θεῖον πόθον ἀνάπτοι. *Diuino amore inflammatus ea, quæ ad libidinem homines accendunt ad pietatem traduxit, cantum articulatæ vocis hymnis diuinis temperans, vt melos ſenſum, intellectus vero, eadem opera, diuinum ardorem exſuſcitaret.*

Clem. Al. ſtro. lib. 6.

Procop. in lib. 1, Regum. c. 16

O factum bene! quid enim honeſtius, quid præclarius, quam hominum animos a libidine ad pudicitiam, a Dæmone ad Deum reuocare?

MODV-

MODVLATIONES MOLLES REPRAEHENDVNTVR OPTATVRQVE VT VETERVM CHRISTIANORVM CANENDI FORMA REDVCATVR.

CAP. VI.

NEminem equidem noſtrorum hominum eſſe arbitror tam effrontem, qui non eodem modo pijſſimo noſtro Regi ſit acclamaturus. At quid nos meliora videre, probareque iuuat, ſi, veterum Ethnicorum iudicio de Muſica poſthabito, (nam *ἐχρήσαντο αὐτῇ οἱ παλαιοὶ κατὰ τὴν ἀξίαν vſi ſunt ipſa veteres reuerenter*) Plutar. de Muſica. Sanctorum Patrum monitis, Iuriſque Pontificij legibus ſpretis, deteriora ſequi malimus? Eo nimirum perducta res eſt, vt qui nouos muſicos modos, quibus hominum animi emolliantur, ac eneruentur non inducat, is tanquam agreſtis exibiletur, & ad mapalia mittatur. Ecquid, obſecro, antiquus ille Comicus Pherecrates, v. Plutar. ibid. qui Muſicam muliebri cultu, & corpore fœde lacerato, vicemque ſuam apud Iuſtitiam grauiter dolentem, eo nomine, olim in ſcenam produxerat, vt chromaticos modulos, ac molles, fractaſque vocum flexiones perſtringeret, ſi nunc reuiuiſcat, dicturus ſit? Aut ego valde fallor, aut miſeram artem longe peius a noſtris diceret ſubinde accipi. Propudium huius ſæculi! Iſtamne canendi formam a Maioribus noſtris accepimus, qui hoc Apoſtoli monito edocti *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu Sancto loquentes vobis-* Eph. 5.

metipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, non in Oratorijs modo, vbi Sacram Euchariſtiam ſumebant, diuinaſque laudes celebrabant, ſed etiam in conuiuijs, ad rerum æternarum ſtudium, ſeſe religioſis, modeſtiſque modulationibus erigebant? Iraſcitur S. Hieronymus, iſtum ipſum Apoſtoli locum expendens, adoleſcentibus quibuſdam, qui, vt ſuauiorem ederent ſonum, dulci medicamine fauces emolliebant. *Audiant hæc*, inquit, *adoleſcentuli, audiant hi, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce, ſed corde cantandum, nec in Tragœdorum morem guttur, & fauces dulci medicamine collinendas, vt in Eccleſia theatrales moduli audiantur, & cantica, ſed in timore, & opere, in ſcientia ſcripturarum*. Et paulo poſt. *Sic cantet ſeruus Chriſti, vt non vox canentis, ſed verba placeant, quæ leguntur; Vt Spiritus malus, qui erat in Saule eijciatur ab his, qui ſimiliter ab eo poſſidentur, & non introducatur in eos, qui de domo Dei ſcenam fecere populorum*. Hæc ille. Si adoleſcentulos, qui dulci medicamine fauces collinere ſolebant, non tulit vir ſanctiſſimus, ferretne illos, qui, vt hominum aures permulceant, voceſque ſuas carius locent, ſeſe, diuino, humanoque iure neglecto, exſecari patiuntur? Ferretne illos, qui adeo Spiritum malum canendo non abigunt, vt eum, de induſtria, ſuis auditoribus inſinuare videantur? Quorſum enim modulationes iſtæ (honos ſit auribus) in lupanari natæ, ac non iam timide in ſacras ædes irrepentes, ſed procaciter irrumpentes, & bacchantium in morem laſciuientes tendunt, niſi vt qui audiunt lymphati, ac Dæmoniaci efficiantur? Ferretne

S.Hieron. in ep. ad Eph.

v. Can. Apoſt. 22. qui incipit ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν & l 1. C. de Eunuch. l. 3. & 6 ff. ad l. Corn. de ſic. Nou. Iuſti. 142. Nouel. Leonis 60.

retne illos (dicam ſemel) qui Domum Dei in‿delubra illa voluptatis, in quibus reſpondent Sirenes, & piloſi, hoc eſt Dæmones obſcœni, & caliginoſi ſaltant, vertere ſtudent? Tam ingentes corruptelas vtique non ferret grauiſsimus morum Cenſor Hieronymus; ſed cum ipſe, tum quiuis alius, cui eſſet cor, exclamaret, Chriſtianæ Reipublicæ multum intereſſe funditus eas tolli, priſcamque canendi formam reduci. Et vero ſi *Ciuitatum hoc multarum in Græcia interfuit* (vtar verbis Ciceronis) *antiquum vocum ſeruare modum, quarum mores lapſi ad mollitiem pariter ſunt immutati cum cantibus*; quidni hoc ipſum interſit Chriſtianarum Ciuitatum?

v. Iſa. 13. & Procop. in‿hunc Iſaiæ locum.

Cic. lib. 2. de leg.

Faxit itaque Deus, vt Muſica theatrali, mollibusque, ac effœminatis Cantoribus, qui, vt ait S. Gregorius, *Deum moribus ſtimulant cum populum vocibus delectant*, a ſacro miniſterio expulſis, de‿bene illa morata Muſica, quæ [illegible] a Græcis dicitur, inſtauranda talis tandem aliquando ſanciatur lex, qualem a Johanne XX. Pontifice Max. ſancitam fuiſſe ſcimus. Faxit Deus, vt graues, ac viriles illi moduli, a quibus olim S. Auguſtinus in Eccleſia Mediolanenſi ad fletum ſe adductum narrat, veluti poſtliminio in patriam ſuam redeant. *Quantū fleui* (aiebat ſanctus ille vir) *in hymnis, & canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebāt auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meū, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.*

S. Greg. Mag. lib. 4. epiſt. 44.

c. Decet ſanctorum Patrū extra De vita & honeſta‿Cleric.

S. Auguſt. Confeſſ. lib. 9. c. 6.

Sed bene habet. Magna ſpes eſt, fore, vt propediem voto potiamur. Etenim Sanctiſsimus Dominus noſter Vrbanus VIII. quem Deus Eccleſiæ ſuæ quamdiutiſsime ſoſpitet, de Muſica corrigenda, & ar-

& arce Socratica circa ipſam, ne qua ſcilicet deinceps præuaricatio ſubrepat, exſtruenda, pro ſingulari ſua prouidentia, conſilium cæpit. Certè vir muſicæ facultatis peritiſsimus iuſſum ſe ab eo in hanc rem omnem ſuam curam, atque operam conferre, ſuperioribus diebus mihi affirmauit. Vtinam ceteris quoque Principibus talem Deus mentem det. Ita enim non morum tantum corruptelæ, ſed legum etiam, imperijque mutationi, quam profecto, ſi Platoni credimus, noui, molleſque cantus inducere ſolent, obuiam ibitur. Et de his quidem hactenus.

Plato Lib. 4. Polit.

IS BENE PSALLIT, QVI VIRTVTVM CONCENTV DEO PLACERE STVDET.

CAP. VII.

S. Hilar. in Pſalmis 146.

NVnc quid ille, qui voce, manuque diuinas laudes celebrat myſtice ſignificet, ex B. Hilario audiamus. *Pſalmus non tam vocem, vt frequenter diximus, quam corporeæ operationis officium ſignificare ſolet. Deum enim non tam voce, quam officiorum viciſsitudine atque obſeruatione laudant. Aduocat igitur nos Propheta ad Dei laudem, quia bonus pſalmus eſt, & optat vt huius boni pſalmi Deo noſtra fiat iocunda laudatio. Scilicet vt placentia Deo opera noſtra ſint, per quæ a nobis geſtorum noſtrorum laudatur obſequium.*

Ipſa forma Pſalterij (vt ait idem Auctor) *quod vnum*

vnum omnium muſicorum organorum rectiſſimum eſt, nihil in ſe peruerſum continens, vel obliquum vt recte agere, Deoque placere ſtudeamus nos monet. Præclare Sanctus Gregorius Nyſſenus: Τὸ ψαλτήριον ὄργανόν ἐστι μουσικὸν ἐκ τῶν ἄνωθεν μερῶν τῆς κατασκευῆς ἀποτελοῦν τὸν ἦχον. ἡ δὲ τοῦ τοιούτου ὀργάνου μουσουργία, ψαλμὸς λέγεται. οὐκοῦν ἐκ τοῦ σχήματος τῆς κατασκευῆς. ὁ προτρεπτικὸς εἰς ἀρετὴν λόγος ἔμφασιν ἔχει. τὸν γὰρ σὸν βίον ψαλμὸν εἶναι διακελεύεται, μὴ τοῖς γηΐνοις φθόγγοις περιηχούμενον. φθόγγους δέ φημι τὰ νοήματα, ἀλλὰ καθαρόν τε καὶ εὐάκουστον ἐκ τῶν ἄνωθέν τε καὶ οὐρανίων τὸν ἦχον ἀπεργαζόμενον. *Pſalterium eſt muſicum inſtrumentum, quod ex ſuperioribus ſtructuræ ſuæ partibus ſonum edit, huiuſque inſtrumenti concentus appellatur pſalmus. Ergo ex ipſa conſtructionis figura commonitio nobis ad virtutem exiſtit. cum tuam vitam velit eſſe pſalmum non terreſtribus ſonis reſonantem; ſonos autem voco cogitationes, ſed qui purum exauditúque facilem, & ex rebus ſuperis, cæleſtibusque contextum ſonum efficiat.*

S. Hilar. in prolog. in explan. Pſal.

S. Greg. Nyſſ. Tract. 2. in pſal. cap. 3.

Id igitur agam ſedulo (dicere videtur Propheta) vt non modo voce Dei Clementiam celebrem, ſed, vt ad eamdem virtutem imitandam ipſe me totum conferam. Enimuero ille vir bene pſallit, qui magnopere id curat, vt virtutum omnium harmonia Deo, Angelis, & Hominibus placeat.

Quæ de hac harmonia Sanctus Gregorius Nyſſenus, more Philoſophorum, diſſeruit, accipe. Ἐπεὶ οὖν πᾶν τὸ κατὰ φύσιν φίλον τῇ φύσει. ἀπεδείχθη δὲ κατὰ φύσιν ἡμῖν οὖσα ἡ μουσική, τούτου χάριν ὁ μέγας Δαβὶδ τῇ περὶ τῶν ἀρετῶν φιλοσοφίᾳ τὴν μελῳδίαν κατέμιξεν. οἷόν τινα μέλιτος ἡδονὴν τῶν ὑψηλῶν καταχέας δογμάτων, δι' ἧς ἑαυτὴν ἀναθεωρεῖται τρόπον τινὰ καὶ θεραπεύει ἡ φύσις.

S. Greg. Nyſſ. Tract. 1. in pſal. cap. 3.

φύσεως. θεραπεία γὰρ φύσεώς ἐστιν ἡ τῆς ζωῆς εὐρυθμία ἣν μοι δοκεῖ συμβουλεύειν δι' αἰνιγμάτων ἡ μελῳδία. τάχα γὰρ αὐτό τι πρὸς τὴν ὑψηλοτέραν τοῦ βίου κατάστασιν, παραίνεσις γίνεται. τὸ μὴ δεῖν ἄμουσόν τι καὶ ἔκτροπον καὶ παρηχημένον τῶν ἐν ἀρετῇ ζώντων εἶναι τὸ ἦθος, μήτε πέρα τοῦ μέτρου τῆς χορδῆς ὀξυτονούσης· ῥήγνυται γὰρ πάντως, ὑπερτεινομένης τῆς χορδῆς τὸ ἐναρμόνιον. μήτ' αὖ πρὸς τὸ ἐναντίον ἐν ἀμετρίᾳ δι' ἡδονῆς ὑποχαλᾶν τὸν τόνον. κωφὴ γὰρ καὶ ἄναυδος γίνεται ἡ ψυχὴ τοῖς τοιούτοις πάθεσιν ἐγχαυνωθεῖσα. καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὡσαύτως ἐπιτείνειν κατὰ καιρὸν καὶ ὑφιέναι τὸν τόνον. πρὸς τοῦτο βλέποντας, ὅπως ἂν ἡμῖν διὰ παντὸς ἐμμελής τε καὶ εὔρυθμος ὁ ἐν τούτοις ἤθεσι διαμένοι τρόπος, μήτε ἀμέτρως λυόμενος, μήτε πέρα τοῦ μέτρου ὑπερτεινόμενος. Ὅθεν καὶ τὰ κατορθώματα τῆς θείας ταύτης μουσικῆς προσμαρτυρεῖ τῷ Δαβὶδ ἡ ἱστορία ὅτι παράφορόν ποτε καταλαβὼν τὸν Σαοὺλ, καὶ ἐξεστηκότα τῆς διανοίας, οὕτως ἐξιάσατο κατεπᾴδων τοῦ πάθους, ὥς τε αὐτὸν πάλιν πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ἐπανελθεῖν τὴν διάνοιαν. δῆλον οὖν ἐκ τούτων ἐστὶ πρὸς ὅ, τι βλέπει τῆς μελῳδίας τὸ αἴνιγμα· ὅτι τῶν παθημάτων καταστολὴν συμβουλεύει ποιεῖσθαι τῶν διαφόρως ἐγγινομένων ἐκ τῶν βιωτικῶν περιστάσεων. *Cum igitur omne illud quod naturale eſt naturę ſit amicum, demonſtratumque ſit, muſicam naturę eſſe conſentaneam; ob id magnus David Philoſophię de virtutibus melodiam, & concentum immiſcuit, & ſublimia illa dogmata mellis quaſi dulcedine aſperſit, per quam aliquo modo ſe ipſam intuetur, & curat Natura. Curatio enim naturę eſt vitę concinnitas, quam mihi tacite per ęnigmatum umbras ſuadere videtur melodia. Et forte hoc totum nihil aliud eſt, quam ad excelſiorem & ab his infimis remotiorem vitam capeſſendam cohortatio, monens videlicet, vt in moribus eorum, qui virtutem colunt, nihil inſit inconcinnum & a recto abhorrens, aut diſſonum; fidi-*

bus,

bus, neque ſupra modum contentis, rumpitur enim, ſi nimium intendatur chordarum apta conuenientia; neque etiam ſtudio in contrarium verſo, nimium per voluptates ad remiſsionem laxatis; muta enim & vocis expers redditur mens bis affectionibus nimium obnoxia; aliaque id genus omnia docet, vt & tempeſtiue intendamus, & remittamus ſonum, id vnum ſpectantes, vt nobis perpetuo viuendi ratio bene compoſita, & temperata conſtet, neque ſine modo reſoluta, neque ſupra modum contenta. Quamobrem diuinæ huius Muſicæ præclare facta Dauidi quoque attribuit ſacra Hiſtoria; nam cum aliquando Saulem inſanire, & de poteſtate mentis exiſſe animaduerteret, ſic concentu affectionem illam tranquillauit, vt naturalem mentis facultatem reciperet. Ex his igitur manifeſtum eſt, quorſum tendat melodiæ inuolutum ænigma. Docet videlicet, paſsiones & perturbationes animi edomandas, & contrahendas eſſe, quæ varijs euentibus varie in hac vita concitari ſolent.

Quantum porro myſtico iſtiusmodi concentu oblectetur Deus, docuit Clemens Alexandrinus cum Dei Verbum ſuauiſsimis hiſce verbis virum bene pſallentem alloquens induxit. Σὺ γὰρ εἶ κιθάρα καὶ αὐλὸς, καὶ ναὸς ἐμός. Κιθάρα διὰ τὴν ἁρμονίαν. αὐλὸς διὰ τὸ πνεῦμα, ναὸς διὰ τὸν λόγον· ἵν᾽ ἡ μὲν κρέκῃ· τὸ δὲ ἐμπνέῃ· ὁ δὲ χωρήσῃ τὸν κύριον. *Tu enim es cithara, & tibia & templum meum. Cithara propter harmoniam, Tibia propter ſpiritum, Templum propter Verbum. Vt illa quidem reſonet, hæc vero inſpiret; Templum autem contineat Dominum*: Eſt igitur vir talis ob morum, virtutumque concentum Chriſti cithara: Eſt etiam tibia, quia Sancto Spiritu afflatus, ea loquitur, quæ diuinitus inſpirata plurimum valent ad componen- Clem. Alex. in Protrept.

dos hominum mores: Eſt demum Templum ipſum, quod vocum, ac muſicorum inſtrumentorum (diuinarum ſcilicet laudum, honeſtarumque actionum cantu perſonans) amiciſsima Deo ſedes eſt.

ET INTELLIGAM IN VIA IMMACVLATA QVANDO VENIES AD ME.

PRVDENTIA, SINE QVA NIHIL RECTE AGGREDI POSSVMVS PRINCIPIBVS A DEO POSTVLANDA.

CAP. VIII.

CVm ſine ope tua, o Deus, nec recte viuere, nec familiam, regnumque meum, vti decet (inquit Dauid) inſtituere valeam, equidem אשכילה intelligam, erudiar in via תמים immaculata, perfectaque. Tunc animum ad virtutem appellam, & quid facto opus ſit ſciam, cum tu mihi præſto eris. Vel πότε ἥξεις πρός με; Quando venies ad me? Ecquando mihi aderis? nam ſi aderis, vtique prudenter, conſiderateque agam.

Ex hoc loco perſpici poteſt, nihil recte quemquam ſine Prudentia poſſe aggredi. Etenim cum antequam aliquid agamus deliberatione, rectoque iudicio nobis opus ſit, quo quid vtile, honeſtumque, quidue damnoſum, ac turpe ſit, intelligamus, pro-

profecto, ſi abſit Prudentia, cuius nimirum beneficio de rebus bonis, & malis, quæ ad beatam vitam pertinent, bene conſulere valemus; nulla erit deliberatio, rectumque iudicium, nullus præterea virtutibus relinquetur locus. Quippe moralium virtutum chorum ita Prudentia regit, moderaturque, vt is continuo diſcedat, & euaneſcat, ſi forte ipſa diſceſſerit. Apte itaque res talis, ac tanta mentis oculus, viuendi ars, Gubernatrix hominum, Dux, Auriga humanæ vitæ, reliquarum virtutum Mater, atque ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη *Sola imperantis virtus* paſsim a viris doctis vocitatur. Ariſtot. Polit. lib. 3. cap. 3.

Porro autem, quoniam ſine ſummæ, atque æternæ Prudentiæ ope nemo prudens eſſe poteſt (recte namque Philoſophi Platonici, atque adeo noſtri Theologi diuinam Mentem, in qua ſcilicet rerum quidem omnium; Virtutum vero potiſsimum Idæas eſſe docent, Prudentiam appellant) ſapienter Dauid eam implorat, ſe, tali Duce, cum vitam ſuam, tum domum, regnumque prudentiſsime recturum, confidens. Nec profecto eum ſua ſpes fefellit, nam 1. Samuel. cap. XVIII. ita ſcriptum eſt: *In omnibus quoque vijs ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* v. Ploti. lib. de Virtutibus. Macrob. in ſomn. Scip. S. Tho. p. ſec. q. 61. ar. 5.

EI QVI PRVDENS EST RES PLERVMQVE PROSPERE EVENIVNT.

CAP. IX.

Locū Samuel. cap. 18. Dauid prudenter agebat, aliqui ſic vertūt, & proſperabatur Dauid
Iſa 52. Ecce intelliget ſeruus meus.
Alij Ecce ישכיל proſperabitur
Sophocl. in Aia. flag.

CEterum quia verbum שכל non tantum intelligere, proſpicere, prudenter agere, verum etiam proſpere agere ſignificat (& apte quidem, fere enim fit, vt ei, qui prudens eſt, res proſpere eueniant) ideo haud forte ineptus ſit, qui locum hunc ſic interpretetur: Te duce, o Deus, qui Summa Prudentia, ſumma fœlicitas es, imperandi iter prudenter, feliciterque ingrediar, abſoluamque.

Quod hic dicere videtur Dauid, id ipſum Antiquitas, non modo ſacra, ſed etiam profana, cum negocium aliquod aggrediebatur, dicere conſueuit. Apud Sophoclem (hoc vno Sapientis Tragœdi teſtimonio contenti ſimus) Pater Aiaci filio hoc monitum dat.

———————— τέκνον, δορὶ
Βούλου κρατεῖν μὲν, σὺν θεῷ δ' ἀεὶ κρατεῖν.

Fili virtute velis vincere, ſed auxiliante Deo ſemper velis vincere.

Id Aiax, quia ſuperbe in hunc modum contempſit.

———————— ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
Κείνων, πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος.

Ego vero, vel abſque auxilio diuino confido me iſtam attracturum gloriam; meritas impietatis, arrogantiæque pœnas dediſſe viſus eſt. Sane prudens Princeps, Deique amicus adeo felix eſſe ſolet, vt malis

immi-

Digitized by Google

imminentibus non obſiſtat modo, ſed ea ipſa ſibi faciat incredibilis felicitatis materiam. ὥσπερ γὰρ τοῖς ἀρίστοις τῶν ἰατρῶν αἱ τῶν ἀῤῥωστημάτων ὑπερβολαὶ λυσιτελοῦσιν, ἵνα ἀποδείξασθαι παρέχουσαι τὴν τέχνην. οὕτω καὶ τοῖς βασιλεῦσιν αἱ δυσκολίαι τῶν καιρῶν κέρδος φέρουσιν, εἰ μέλλοιεν ὑπὸ τῆς ἐκείνων εὐβουλίας ἐπὶ τὰ βελτίω τελευτῆσαι. *Quemadmodum enim Medicorum optimis morborum grauitas conducit, cum hi efficiant, vt artem oſtendant, ita etiam Regibus opportunitatum difficultates lucrum afferunt, ſi futurum ſit, vt, bono ipſorum conſilio, in melius deſinant.* Merito itaque Prudentia, & pecuniæ, quam belli neruum vocant, & ipſis exercitibus, quibus Principes circumſepti, ecquid non audent? a viris ſapientibus anteponitur. οὐ γάρ ἐστιν ὥσπερ ὁ τῶν χρημάτων πλοῦτος, καὶ τὸ τῶν σωμάτων πλῆθος, (vtor verbis Sancti Iohannis Chryſoſtomi) ἡ τῆς ψυχῆς φρόνησις, ἀλλ' ἐκεῖνα μέν, ὅταν τις αὐτοῖς ἐν τοῖς πολέμοις χρῆται συνεχῶς, δαπανᾶσθαι συμβαίνει, καὶ ἀπολείπειν τοὺς ἔχοντας· αὕτη δὲ ὥσπερ ἄν τις αὐτὴν ἀσκῇ, τοσούτῳ μᾶλλον αὔξεσθαι πέφυκε. *Non enim eadem eſt animi Prudentiæ & pecuniarum, numeroſique exercitus ratio; fit namque, vt hæc aſſiduo bellorum vſu conſumantur, & eum, qui illa poſſidet deficiant. At ea eſt Prudentiæ natura, & vis, vt quanto quis eam exercet magis, tanto magis augeatur.*

Libanius in Baſilico.

S. Ioan. Chryſ. Dial. 1. de ſacerd.

PRIN-

PRINCEPS VNA CVM DIVINA OPE INDVSTRIAM SVAM IVNGAT.

CAP. X.

TAle bonum cum ſit Prudentia, eius vt particeps ſias, Dauidica tibi hac prece aſſidue vtendum eſt. *Intelligam in via immaculata. Quando venies ad me?* Sed vide interea, vt veteris, verique illius dicti memor: *Deus bona ſua laboribus vendit*, vna cum diuina ope induſtriam quoque tuam, quæ ſane *συμμαχίας* vicem gerit, comitem iungas. Quemadmodum enim Gubernator poſt preces & vota; quamquam illud haud ignorat,

Menand. *Θεοῦ θέλοντος καὶ ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.*

Deo volente etiam ſuper vimine nauiges;

dat tamen operam, vt probo nauigio, beneque inſtructo nauiget, manum præterea gubernaculo admouet, atque cum fluctibus, ventisque luctatur; ſic

S. Iac. tibi, tametſi gnaro, Deum eſſe *Patrem luminum*,

Themiſt. or. 12. largitorem ſcilicet Prudentiæ, *ἐσθλῶν δοτῆρα, ῥᾳστώνης ταμίαν, πρύτανιν εὐδαιμονίας. bonorum datorem, commodorum adminiſtratorem, ac diſpenſatorem felicitatis*; mens ciuili diſciplina, hiſtoriaque, hoc eſt vitæ Magiſtra acriter exercenda eſt, & viri, qui ea probitate, vſuque rerum valeant, vt facem tibi præferre, & quæ via tenenda, quæue rurſum declinanda ſit, docere poſſint, potiſſimum audiendi. Ac quoniam ſatis non eſt audiſſe (nihil enim ijs ineptius, qui eo dumtaxat nomine doctos audiunt,

vt

Digitized by Google

vt multa ſcire videantur), in id ſedulo incumbendum, vt quæ audieris ſubinde agas. Ita enim dignus iudicabere, cui Deus præluceat, bonamque mentem det, bonamque fortunam, ſi humanam facem ſequutus, viam tibi monſtratam, etſi prima fronte fortaſſe aſperam, libens inieris, perrexeriſque.

PERAMBVLABAM IN INNOCENTIA CORDIS MEI IN MEDIO DOMVS MEAE.

DAVID VBIQVE INNOCENTIAM COLEBAT.

CAP. XI.

HEbræi hæc, & quæ ſequuntur non ad tempus præteritum, ſed futurum referunt, putantque, Dauidem, ſe recte victurum, recteque familiam, regnumque adminiſtraturum vouere. Atqui Septuaginta Interpretum hanc interpretationẽ. *Διεπορευόμην ἐν ἀκακίᾳ καρδίας μου ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου μου. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus mea,* Helias Hebræus ſatis probauit, cum Latinorum & Græcorum præterita imperfecta apud Hebræos per futura repræſentari docuit. Hic igitur horum verborum Dauidis eſſe videtur ſenſus. Id ſemper ſtudui, vt ne latum quidem vnguem ab honeſto diſcederem. Ab alijs quoque *ἀκακίαν ἀντὶ τῆς καθαρότητος pro puritate, ac integritate* poſitam reperies.

Helias in lib. Bahnrim.

v. Sanct. Pagn. Hebr. Inſtit. lib 3. cap. 43.

v s. Dionyſ. ep. ad Dempohiliũ.

lam

Iam quid ſibi hæc volunt *In medio domus meæ?* Nempe hoc. Id egi, vt non modo in publico, ſed etiam in intimis domus meæ receſſibus innocentiam ſeruarem, optimique Regis officio fungerer.

Et quidem non morem illorum Principum, qui cum palam, per ſummam vafriciem, probos venditent ſeſe, vbi tamen ædium ſuarum fores clauſere nihil non turpe admittunt, ſequebatur Dauid, ſed vel in palatij penetralibus, conclauibusque candide, ingenueque probitatẽ colebat. Οἱ μὲν πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, (inquit Euſebius) σχηματιζόμενοι κατὰ τὰς ἀγορὰς σεμνοὶ φαίνονται, καὶ ἐπιεικεῖς· ἐν δὲ ταῖς ἑαυτῶν οἰκίαις οὐκ ἔτι κρύπτοντες τὸν ἑαυτῶν τρόπον, ἐλέγχονται φαῦλοί τινες ὄντες. ἐγὼ δὲ ἐν ἀκακίᾳ καρδίας μου ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου μου, ἐπορεύθην, οὐκ ἔχων ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας μου ἐξιόντας διαλογισμοὺς πονηρούς. *Plerique nimirum hominum ore compoſito in foro graues videntur, ac probi, at in ſuis ędibus non etiam cœlant ſuos mores, ſed improbos produnt ſeſe. Ego vero in innocentia cordis mei in medio domus meę ambulaui, prauaſque cogitationes ex intimo corde prodeuntes non habui.* Hactenus Euſebius. Eodem pertinet interpretatio Theodoriti.

Euſeb. in pſal. 100.

DA-

DAVIDIS LAPSVS TAM STANTIBVS, QVAM LAPSIS PRODEST.

CAP. XII.

QVid ergo? Itane, inquis, in ſuarum ædium penetralibus innocentiam coluit Dauid cum in alienam vxorem iniurius fuit, adulterioque addidit homicidium?

Ego vero, neque adulterij, neque homicidij patrocinium ſuſcipio. Peccauit Dauid, fateor, & vehementer quidem peccauit, *factuſque eſt in morte Vriæ* † (verba S. Gregorij) *crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit enormiter fluxus. & qui malis ante nouerat pie parcere, in bonorum quoque necem poſt didicit ſine obſtaculo retractationis anhelare. Prius quippe ferire deprehenſum perſecutorem noluit, & poſt cum damno deſudantis exercitus etiam deuotum militem extinxit.* Verum enimuero, quia *confeſſionis ſuę teſtimonium*, vt ait S. Ambroſius, *in perpetua ſęcula, vulgato dolore, tranſmiſit*; auſim dicere, plus nobis peccata eius profuiſſe, quam, ſi nihil vnquam peccaſſet, continua profuiſſet innocentia. Quotuſquiſque enim eſt innocentium virorum, qui, ſi Regis innocentiſsimi, Deoque cariſſimi caſum ſpectet, non trepidet? non ſtet in gradu ſuo vigilantius? non diuinam opem, qua ſuſtentetur, ſuis ipſius viribus diffiſus, identidem poſcat? Quotuſquiſque item eſt hominum voluptariorum, qui, ſi pſalmos, quibus Rex pijſſimus iram Dei lacrymabundus deprecatus eſt, vel audierit, vel legerit, non tanto ve-

† corr. aliqui viri. s.Greg.Paſtor. par.1. cap.3.

S. Ambroſ. in Apolog. Dauid.

post. ad Corinth. cap. 1.

ræ pœnitentiæ exemplo ſtatim commoueatur, ac rubore ſuffuſus, ad *Patrem miſericordiarum*, ſuis peccatis ab eo veniam petens, confugiat, optimæque ſpei plenus, ad bonam ſeſe recipiat frugem? Sane Diuina Bonitas magnos quoſdam, ac ſanctos viros labi aliquando permiſit, vt eorum, ſiue peccatum illos, qui ſtarent cautiores faceret, ſiue pœnitentia illos, qui caderent ad ſurgendum, veniamque ſperandam, alacrius excitaret. *Ad hoc* (audi B. Eucherium Epiſcopum Lugdunenſem) *in ſcriptura ſacra virorum talium, ideſt David & Petri peccata ſunt indita, vt cautela minorum ſit ruina maiorum. Ad hoc vero vtrorumque illic etiam pœnitentia inſinuatur & venia, vt ſpes pereuntium ſit recuperatio perditorum. De ſtatu ergo ſuo Dauid cadente, nemo ſuperbiat, de lapſu etiam ſuo Dauid ſurgente, nemo deſperet.*

S. Eucherius Epiſ. Lugdun. lib. 2. in libros Regum.

PRINCIPES CORDIS INNOCENTIAM SERVENT.

CAP. XIII.

HIC obſeruent Principes, illum corde innocentem ab Euſebio definiri, qui *prauarum cogitationum ex corde prodeuntium expers ſit*, qui ſcilicet ab omni culpæ labe purum ſeſe, atque integrum ſeruet. Is itaque perambulat in innocentia cordis ſui, qui, ne vlla turpitudine commaculetur, ſuas appetitiones Rationi, tanquam Reginæ ſubijcere, ani-

mumque

mumque ſuum virtutibus, ceu templum donarijs exornare, Deoque quamſimillimum efficere ſtudet. Tali viro, quam apte conueniant hæ inſcriptiones pſalmorum XXVIII. & XXIX. ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ ἐξοδίου σκηνῆς. ψαλμὸς ᾠδῆς τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου Δαβίδ. *Pſalmus Dauidi exitus tabernaculi. Pſalmus cantici dedicationis domus Dauid*; ſcite docuit Sanctus Gregorius Nyſſenus his verbis: ἐὰν γὰρ μὴ τῆς αἰσθητῆς σκηνῆς ἐξέλθωμεν, ὁ ἀληθινὸς ἡμῶν οἶκος οὐκ ἐγκαινίζεται. τὸ δὲ λεγόμενον, τοιοῦτόν ἐστιν. δύο περὶ τὴν ἀνθρωπίνην νοεῖται φύσιν. ἥ τε σαρκώδης ζωή, ἡ διὰ τῶν αἰσθήσεων ἐνεργουμένη, καὶ ἡ πνευματική τε καὶ ἄϋλος ἡ περὶ νοερῷ τε καὶ ἀσωμάτῳ τῆς ψυχῆς βίῳ κατορθουμένη. ἀλλ' οὐκ ἔστιν τὼν δύο κατὰ ταυτὸν ἐν μετουσίᾳ γενέσθαι. ἡ γὰρ περὶ τὸ ἕτερον τούτων σπουδή, τὴν τοῦ ἑτέρου στέρησιν ἀπεργάζεται. οὐκοῦν εἰ μέλλοιμεν οἰκητήριον Θεοῦ ποιεῖν τὴν ψυχὴν ἐξελθεῖν προσήκει τῇ σαρκὶ τῆς σαρκώδους σκηνῆς. οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως ἐγκαινισθῆναι τὸν οἶκον ἡμῶν ὑπὸ τοῦ ἀνακαινίζοντος ἡμᾶς διὰ τῆς ἑαυτοῦ ἐνοικήσεως, εἰ μὴ τὸ ἐξόδιον τῆς σκηνῆς διὰ τῆς τοῦ σωματικοῦ βίου ἀλλοτριώσεως κατορθωθείη: *Niſi enim ex ſenſibili hoc tabernaculo egrediamur, vera noſtra domus non dedicatur. Quod vero bis inſinuatur, eiuſmodi quiddam eſt. Duæ in humana natura conſiderari poſſunt vitæ, altera carnalis, & corpori addicta, quæ per ſenſus operatur, altera ſpiritualis & immaterialis, quæ in viuendi genere a corporeis rebus ſeiuncto, & ſub ſolam intelligentiam cadente conſiſtit, fierique non poteſt, vt hæc duo vitæ genera mutua communione iungantur. Nam ſtudium, quod vni impenditur, alterum e medio tollit. Si igitur animam noſtram Dei habitaculum efficere velimus, oportet, vt carne egrediamur ex carnali tabernaculo. Aliter enim fieri nequit, vt domus noſtra dedicetur ab illo, qui nos*

S. Greg. Nyſſ. tract. 2. in Pſal. cap. 6.

per ſuam inhabitationem dedicat, niſi exitus ex tabernaculo per auerſionem, & fugam vitæ corporis iocunditatibus deditæ, legitime inſtituatur. Atque hæc eſt profecto illa fuga, ad quam Socrates in Theæteto ſuos auditores in hunc modum adhortatur. Διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, ὁμοίωσιν δὲ δίκαιον, καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. *Quapropter danda opera eſt, vt hinc illuc quamcelerrime fugiamus: fuga vero eſt, ſi quantum fieri poteſt, Deo ſimiles efficiamur. Deo autem ſimiles efficit Iuſtitia, & Sanctitas cum Prudentia.*

Plato in Theæt.

Id porro, quam omnibus quidem, ſed præſertim imperantibus honeſtum, ac decorum ſit, diſcamus ex Syneſio. τοῦτό τοι πρῶτον καὶ σφόδρα βασιλικὸν (ait) αὐτὸν εἶναι τὸν βασιλέα, τὸν νοῦν ἐπιστήσαντα τῷ συνοίκῳ θηρίῳ· καὶ μὴ κρατεῖν ἀξιοῦντα πολλάκις μυρίων ἀνθρώπων, ἔπειτα αὐτὸν δοῦλον εἶναι δεσποινῶν αἰσχίστων, ἡδονῆς, καὶ λύπης, καὶ ὅσοι σύγγονοι θῆρες ἐνδιαιτῶνται τῷ ζώῳ. *Iſtud præcipuum, ac ſumme regium eſt, ſui ipſius regem eſſe, mentemque contubernali belluæ præficere, neque cum infinitis fere hominibus imperare velis, ipſum deinde ſeruum eſſe turpiſſimarum dominarum, Voluptatis, & Doloris, & quæcunque his affines belluæ cum animali hoſpitantur.* Regem ſe vocari volebat ſceleſtus ille Herodes; ἀλλ᾽ ὅλος τῆς ἡδονῆς ὢν ἀνδράποδον (libenter vtor magni Principis verbis hoc eſt Leonis Imperatoris) καὶ πρὸς τὸ βάραθρον τῆς παρανομίας ὥσπερ δὴ μύων καταφερόμενος; *ſed quantus quantus erat, totus libidinis mancipium erat, & ad improbitatis barathrum, quaſi clauſis oculis, ferebatur:* ὁ γάρ τοι πάντων μάλιστα νομοφυλακεῖν ὀφείλων, καὶ τῇ καθ᾽ ἑαυτὸν συντηρήσει τοῦ νόμου εἰς τιμὴν αὐτοῦ τὸ ἀρχόμενον προ-

Syneſ. orat. de Regno.

Leo Imp. orat. in decolla. S. Iohan. Baptiſtæ

Digitized by Google

[illegible]καλεῖσθαι. πέφυκε γάρ πως τὸ ἀρχόμενον ταῖς ἀρεταῖς ἢ κακίαις ἐπὶ πολὺ τῶν κρατούντων συνδιατίθεσθαι. οὗτος δὴ παρανομῶν καὶ μοιχείας ἄγει καταμολυνόμενος εἰς αὐτὸν παροινεῖν οὐκ ᾐσχύνετο. καὶ οὐ τοῦτο μόνον μοιχείας, ἀλλὰ καὶ ἀδελφοῦ ἐνυβρίζει κοίτην, ἣν ἔδει καί τινος ἀλλοτρίου ὑβρίζοντος, ἐπαμύνοντα τῷ δικαίῳ τῆς συγγενείας ἀνεπιβούλευτον πειρᾶσθαι διατηρεῖν. *Nam qui omnium maxime leges cuſtodire debebat, legumque obſeruatione ſubditos ad ſui obſeruantiam adducere (ſolent enim ſubditi ad eorum qui praeſunt virtutes, vel vitia ſe plerumque conformare) iſte praeter ius & fas adulterii flagitioſe contaminans, legem violare non erubeſcebat: neque ſolum adulterio inquinat ſeſe, verum & fratris lecto iniuriam infert, quem, ſi quis alius in eum iniurioſus extitiſſet ab omni contumelia, iure cognationis vindicare oportebat.*

Viden, Chriſtiane Rex, quanta ſit Regis flagitioſe, turpiterque viuentis fœditas? Quid igitur illis impudentius, & magis impium dici poteſt, qui cum, more ſuum, in cœno vitiorum volutentur, ſe tamen dignos putant, qui homines regant, Deumque ducem, auctoremque felicitatis fore ſibi arbitrantur? Sic ſane habeto.

——— Tunc omnia iure tenebis
Cum poteris Rex eſſe tui.

Claudianus in Panegy. de IV. conſul. Honor.

Tunc Deum propitium habebis, cum dicti illius memor ἀφ᾽ ἑστίας ἄρχου. *[illegible]lare incipe*, cordis innocentiam, integritatemque, rem quippe honeſtiſſimam, ſummeque regiam colueris. Errant profecto, errant qui per lutulentam cupiditatum ſuarum viam incedentes, Deum ſuæ mentis ducem, & datorem, atque amplificatorem felicitatis ſperant ſe habituros. Auſa eſt aliquando gens Iudæa, tametſi contami-

Digitized by Google

natiſſima, Arcam illam fœderis, quæ, propterea-quod Deum, quo nihil eſt pulcrius adumbrabat, a Dauide in pſalmo lxxvii.† *pulcritudo* appellata eſt, Ducem ſibi in bello aduerſus Palæſtinos conſtituere. An id tamen tulit Deus? Nequaquam, ſed eam in poteſtatem hoſtium venire permiſit, ſicque declarauit, illos diuino ductu, præſidioque indignos eſſe, qui, ſpreta cordis innocentia, ſuis cupiditatibus indulgerent. Huc facit Procopius verba hæc libri primi Regum cap. vi. *Arca autem Domini capta eſt*, exponens. Τοὺς μὲν γὰρ Ἑβραίους ἐδίδαξεν, ἐννόμως μὲν βιοῦντας τῇ τοῦ Θεοῦ προμηθείᾳ θαῤῥεῖν. παρανομοῦντας δὲ, μήτε αὐτῷ, μήτε τῇ κιβωτῷ πεποιθέναι. τί δήποτε γὰρ εἰς ἐπικουρίαν ἔλαβον πολέμου, παρανομοῦντες τὴν κιβωτὸν, τὴν τὸν νόμον ἔνδοθεν ἔχουσαν ἀποκείμενον; *Hebraeos enim docuit, vt legitime viuentes, Dei curae confiderent, at contra legem agentes, neque ipſi, neque Arcae confiderent. Cur enim diuinam legem violantes, Arcam, in qua lex repoſita erat, in belli ſubſidium adhibuerunt?*

† Et pulcritudinem eorum in manus inimici

Procop. in lib. 1. Reg. c. 4.

DAVIDIS ERGA DEVM PIETAS.

CAP. XIV.

Qvamquam autem Innocentiæ nomine recte ſignificatur humanæ Mentis in omnes affectiones imperium, & morum integritas; haud tamen a ſententia Dauidis mihi diſceſſurus videor, ſi virtutum omnium faſtigium, Pietatem erga Deum, hoc loco potiſſimum indicari dixero. Faciunt, vt ita

Digitized by Google

ita ſentiam hæ voces hebraicæ בתם לבבי *In perfectione cordis mei* nam profectò nihil reperiri poteſt perfectius Pietate, *ἣν μητέρα φασὶ τῶν ἀρετῶν* (ſic loquitur S.Gregorius Thaumaturgus) ὀρθῶς λέγοντες. S.Greg. Thaumat. in orat. proſphon. & Panegyr. in Orig.
αὕτη γάρ ἐστιν ἀρχὴ καὶ τελευτὴ πασῶν τῶν ἀρετῶν. quam parentem virtutum recte appellant; haec nimirum eſt principium & finis omnium virtutum.

Sane qui pietatem colunt, ij ſæpe in ſacris Litteris *ambulare* dicuntur *in corde perfecto*. Docet id Ezechias his verbis: *Obſecro Domine memento quaeſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim.* 4.reg.cap.20.
Perfectionem cordis (inquit B. Eucherius) *nunc in eo dicit, quod Idola deſtruxerit, Templi valuas aperuerit, ſerpentem aeneum comminuerit, & cetera fecerit, quae ſcriptura libri Regum, & Paralipomenon commemorat.* S. Eucherius lib.4 in libros Regum.

Non erat igitur Dauid alius foris, alius domi, ſed quam præſeferebat in publico pietatem, eam intra domeſticos parietes ſerio, ſanctèque colebat. Quæris aliquod huius Dauidicæ pietatis teſtimonium? Non humanum dabo, ſed diuinum.

In libro III. Regum cap. XIV. cum Deus reprehenderet Hieroboam ſic locutus legitur. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo*: Et in eodem libro c.XV. de Abia hęc ſcribuntur. *Non erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius.* Denique cum Ezechiæ, & Ioſiæ, ſanctiſſimis nimirum Regibus hæc laus tribuitur: *Fecit* [Ezechias] *quod erat bonum coram Domino iuxta omnia, quae fecerat Dauid pater eius; Fecit* [Ioſias] *quod erat placitum coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris ſui, non declinauit ad dexteram,* 4 Reg.cap.18. 4.Reg.cap.22.

Digitized by Google

teram, *ſiue ad ſiniſtram*; quis non videt, ſanctum noſtrum Regem, tanquam pijſsimi, optimique Regis exemplar a Spiritu Sancto celebrari?

PIETAS NON FICTA, SED VERA PLVRIMVM VALET AD IMPERIA CONSERVANDA ET STABILIENDA.

CAP. XV.

MOnet me hoc loco præſtantiſsima hæc virtus; cuius Rex Dauid, teſte, atque adeo precone Spiritu Sancto, norma fuit, vt de ipſa ijs, qui imperant aliquid ſcribam.

Parebo igitur. Verum, quoniam permulta, præclaraque viri docti de ea litteris mandarunt, mihi nunc ſatis erit, ſi vtilitatem eius dumtaxat attigero.

Magnum profecto in eo poſitum eſt momentum ad imperia ſartatecta a periculis conſeruanda, & ſtabilienda, ſi qui imperant pij erga Deum habeantur: ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων (ait Ariſtoteles,) ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν. καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς. *nam, & metuunt minus* [Ciues], *ne quid iniuſti a talibus accipiant, si eum, qui imperat religioſum eſſe, Deosque curare existiment & eidem, inſidiantur minus; tanquam Deos habenti ſocios.*

Arist. lib. 5. politic. cap. 11.

Sed imperantium alii veram, ſolidamque Pietatem

tem profitentur, perſuaſum habentes, a præpotenti Deo *baltheum Regum diſſolui, & præcingi fune renes eorum: duci Sacerdotes inglorios, & optimates ſupplantari, effundi deſpectionem ſuper Principes, & eos, qui oppreſſi fuerant releuari*: Alij ſatis habent, ſi ſub perſona Pietatis latitantes, quemuis fallere norint. Iob. 12.

Sane Pcincipibus ex animo Pietatem colentibus, tam obſequentes populi eſſe ſolent, quam Iſaacus obſequens fuiſſe legitur Abrahamo. Enimuero magnus ille Abrahamus viſus eſt mihi ſemper exemplar quoddam bonorum Principum, atque Idæa, Iſaacus vero Ciuium. Mira in illo Religio, mirum in hoc obſequium. Porro quemadmodum Iſaacum longe arctius paterna ſuper altare conſtrinxit Religio, quam manus, (quis enim credat, ſi chronologiam Hebræorum ſequamur, iuuenem ſeptem ſupra triginta annos natum, ſenis effœti, & centenario maioris lacertos extimuiſſe?) ita haud dubium, quin Princeps religioſus populum, quem certe quidem robuſtum, audacemque iuuenem appellare licet, quandoquidem vna ſæpe ſeditiuncula commotus, vel diuturnos principatus euertit, plus Religionis opinione, ac metu Numinis, quam cuiusuis carnificinæ metu ſibi deuinciat, faciatque obſequentem. Chronol. Maior. Hebræor.

E CON-

CONSTANTINO MAGNO VERA PIETAS MAXIME PROFVIT.

CAP. XVI.

Conſtantinus Magnus, quam fuerit pius, & leges, quas de Idolorum Templis, ſiue diruendis, ſiue occludendis, abolendiſque ſacrificijs ſanciuit; & Baſilicæ, quas Chriſti cultui erexit, ac magnificentiſsimis donis locupletauit, & bella, quæ in impios Maxentium, & Licinium geſsit, & veræ, ſanctæque Religionis propagandæ ſtudium, quo flagrauit, abunde teſtantur. Vt propterea præclaras haſce eiuſdem voces, Epiſcopis nonnullis audientibus, miſſas, iure merito Euſebius celebrauerit ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας· ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *Vos intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam a Deo Epiſcopus conſtitutus ſum*. Quippe in eo totus erat religioſiſſimus Imperator, vt omnes qui ſuberant Romano imperio ab Idololatria, ad verum Dei cultum (hoc nimirum eſt præcipuum Epiſcopi munus) conuerteret.

Euſeb hiſt. Eccleſ. lib. 9. c. 9.

Quantum autem eidem profuerit vera Pietas, his verbis hic ipſe Euſebius declarauit. τῷ δ' ἦν ἄρα ὁ θεὸς φίλος κηδεμὼν καὶ φύλαξ τῷ Κωνσταντίνῳ, ὃς αὐτῷ τὰς ἐν ἀπορρήτῳ καὶ σκότει μηχανωμένας ὑπὸ τοῦ τυράννου ἐπιβουλὰς εἰς φῶς ἄγων διήλεγχε· τοσοῦτον ἀρετή τι μέγα τῆς θεοσεβείας ὅπλον πρὸς ἄμυναν μὲν ἐχθρῶν οἰκείας δὲ φυλακὴν σωτηρίας ἰσχύει· ᾧ δὴ πεφραγμένος ὁ θεοφιλέστατος ἡμῶν βαſιλεὺς Κωνσταντῖνος τὰς τοῦ δυσωνύμου πολυπλόκους

Euſeb hiſt. Eccleſ. lib. 10. c. 8.

ἐπιβουλὰς διαδέδρακεν. *Verum Deus Conſtantino amicus fuit, curator eius, & cuſtos, qui inſidias in occulto & tenebris ei a Tyranno comparatas in lucem produxit, & patefecit. Tanta igitur ſunt, & tam ſancta Pietatis arma, vt non ſolum ad hoſtium depulſionem, ſed ad Salutis etiam noſtræ propugnationem ſatis præſidij habeant, quibus Deo cariſſimus Imperator noſter Conſtantinus præclare ſeptus, multiplices, & callidas execrabilis hoſtis inſidias effugit.* Quid? Ipſemet † Conſtantinus, & hoſtium ſuorum internecionem, & decus, ac robur Imperij, & ſui temporis felicitatem non ſemel vni Pietati accepta retulit. Quo magis eorum hominum audaciam, ne quid grauius dicam, mirari ſoleo, qui Ethnicorum quorumdam mendacijs nixi, de religioſiſsimi Principis fama detrahere non verentur. Quamquam mirandum non eſt, maledicorum hominum linguas à Dæmone in eum Virum acui, a quo ſe primum e ſuis templis, aris, delubris eiectum fuiſſe ſenſit.

† Cōſtantinus in orat. ad Sāctorum cœtū apud Euſeb in vita Conſtantini cap. 22.

Porro conuiciatores iſtos facile refellit publica hæc apud Libanium Sophiſtam omnium hominum confeſsio. ὁμολογεῖται μὲν γὰρ ἐκεῖνος ἅπασι τοῖς εἰς ἀρετὴν φέρουσιν ἅπαντας τοὺς ἔμπροσθεν παραδραμεῖν. *Nimirum ille* [Conſtantinus] *omnium aſſenſu Principes omnes qui ante ipſum fuerant, cunctis, quæ ad virtutem pertinent, præcurrit.* Hic ipſe Libanius paulo poſt cum dixiſſet, auguſtiſsimum hunc Imperatorem, bella, quæ ſuſceperat omnia, ex animi ſententia, confeciſſe, his verbis tantam felicitatem exaggerat. ἀλλ' ὥσπερ συγγραφὴν πρὸς τὴν τύχην ὑπὲρ νίκης ἀϊδίου πεποιημένος οὕτω θαῤῥοῦντι τὰ ὅπλα ἐτίθετο, καὶ τὸ ταῖς ἐλπίσι τέλος σύμφωνον ἐκομίζετο. *Sed quaſi ſi cum Fortuna ſingrapham pro Victoria perpetua feciſſet, ita confiſus*

Libanius in Baſilico.

arma deponebat, & finem ſpei conſonum referebat. Atque hæc quidem homo Ethnicus de Magni Conſtantini virtute incomparabili, ſummaque felicitate.

PRĪCEPS HYPOCRITA DESPICITVR MALVMQVE HABET EXITVM.

EXEMPLO EST SAVL.

CAP. XVII.

IAM Princeps, qui hiſtorioniam, vt ita dicam, agens, pietatem ſimulat, quamuis callide ſi-
Ariſt. lib. 5. Polit. c. 11. mulationem tegat, atque Ariſtotelæum hoc præceptum diligenter exequi ſtudeat. *δεῖ δ' ἄνευ ἀβελτηρίας φαίνεσθαι τοιοῦτον. Oportet autem non ſtulte, ſiue inepte talem* [pium erga Deum] *videri*; haud tamen diu latere poteſt. Etenim ſicuti ſimulacra ex argilla ficta, & æris colore obducta fallunt quidem aliquandiu oculos prætereuntium; at aduentitio illo colore, vel paulatim exoleſcente, vel repente rapto, apparet demum, non ſine eorumdem prætereuntium riſu, quantum diſtet lutum ab ære; ita profecto Principes, qui alienum ſuis moribus vultum gerunt, fallunt, (haud negauerim) per aliquod tempus populos perſona Paſtoris; ſed nemo non tandem intelligit (Deo ſcilicet ſapientiam carnis perdente, ſceptroque ferreo hypocritarum imperium, tanquam vas figulinum comminuente) quantum inter veram, expreſſamque Religionem,

&

& mentitam, ſcenicamque interſit; nemo non deſpicit ineptorum hominum hypocriſim. Id quam verum ſit, vt innumeros alios locos prætercam, ex Zacharia intellige. Cum prædixiſſet diuinus hic Vates fore, vt prauus quidam Princeps carnes pinguium comederet, & vngulas eorum diſſolueret, vt nimirum ad rem ſuam augendam, locupletiorum fortunas diriperet, omneque robur eorum frangeret, hæc mox ſubiungit. *O Paſtor, & Idolum derelinquens gregem*. hoc eſt: O tu, qui callide Pietatem ſimulans, ſpeciemque Paſtoris præteferens, Deo, & hominibus illudis, quantum erras, ſi te pro religioſo, populique tui amante habitum iri exiſtimas! Nempe, o ſtulte, ceu Idolum quoddam, res videlicet inanis, ac nullius precij ab omnibus deſpicieris, & pœnam, quam verus ille Paſtor hypocritis infligere ſolet, non euades. *Gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dexterum eius. Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius teneбreſcens obſcurabitur*. Nam profecto vires tuæ, quarum brachium ſymbolum eſt, exhaurientur penitus, eoque væcordiæ, ſtultitiæque rues, vt in rebus tuis admiuiſtrandis, nihil conſilio, aut proſpicientiæ (quam certe quidem dexter oculus deſignat) loci futurum ſit. Quippe ita ſe res habet, vt plerumque, cui fortunam commutaturus eſt Deus, conſilia corrumpat.

Zachar. c. 11.

Zachar. ibid.

v. Comment. Rabbi David Kimki in hunc locum.

Studuit impius ille Saul, ſiquis alius, ne Religionis famam, qua maieſtatem, regnumque ſtare, optime intelligebat, vel tantillum imminueret, ſed fruſtra. Iuſſus fuerat a Deo *percutere Amalech, & demoliri vniuerſa eius, non parcere ei, & non concupiſcere ex rebus eius aliquid, ſed interficere a viro vſ-* 1. Reg. c. 15.

que

que ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum; at ipſe, Domini præcepto inſuper habito, *apprehendit Agag Regem Amalech viuum, omne autem vulgus interfecit in ore gladij, & pepercit Saul, & Populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & vniuerſis, quæ pulcra erant, nec voluerunt diſperdere ea, quicquid vero vile fuit, & reprobum hoc demoliti ſunt*. Scelus enimuero deteſtabile! Atqui Rex egregius illud ſpecioſo integumento Religionis obtegere conatus legitur. Nam, *& offerebat holocauſtum Domino de initijs prædarum, quæ attulerat ex Amalech*; & Samuelem Prophetam honorificis hiſce verbis excepit: *Benedictus tu a Domino*; & Dei dicto ſe audientem fuiſſe, ita affirmauit; *Impleui verbum Domini*. Ecquid vero iſte fucus, ecquid miſero profuit? Nihil omnino. Etenim, quamquam vbi a Samuele obiurgatus fuit, pœnam in hunc modum deprecatus eſt: *Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, & verba tua timens populum, & obediens voci eorum*; nihilominus tamen, quia † *Chus filius Iemini* (hoc eſt Saul Aethiops) veſtem mutauit, non pellem, pluſque timuit, ne populi ludibrium fieret, quam Dei (id quod ex his eius verbis luculenter apparet; *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael*) merito & a Deo, qui † *intuebatur cor, falſa non poterat ſupplicatione moueri*, & ab hominibus ſpretus fuit, ſperneturque in omnem ſæculorum æternitatem. Quippe Veritatis Oraculum eſt: *Quicunque honorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles*.

† Saul appellatur Chus in tit. Pſal. ſept.

† S. Bern. in illud Ecce nos reliquimus omnia ſub finem.

1 Reg. 2.

NON

NON PROPONEBAM ANTE OCVLOS MEOS REM INIVSTAM.

DAVID AVERSABATVR QVICQVID ARTE DAEMONIS FIERET.

CAP. XVIII.

REM *iniuſtam*. Hebraice דבר בליעל *Verbum*, ſiue *rem Belial*. Hoc nomine בליעל Dæmonem ſignificari, vt † Sanctum Hieronymum, † Sanctum Cyrillum, & † alios nonnullos præteream, aperte nos docet Sanctus Paulus cum in poſteriori epiſtola ad Corinthios † ita loquitur *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Dicitur autem Dæmon בליעל a בלי ideſt *Non*, & על *aſcendet*, vel quia, vt ait † Auguſtinus Steuchus, *non aſcendere ſurſum non permittit*, vel quia, vt ego puto, poſteaquam hæc ſuperbe iactauit † *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*; de ſpe, conatuque nefario repulſus, *ad infernum detractus eſt in profundum laci*. Quid ſi Dæmon Belial appellatur, ſiue a בלי *abſque*, & על *Altiſſimo* (eſt enim על idem Dei epitheton, quod עליון, ſiue a בלי, & עול *abſque iugo*, proptereaquod a Deo defecerit? Huc certe facit Suidas Βελίαρ (Belial & Beliar idem omnino ſunt) τῇ ἑβραίων φωνῇ τὸν ἀποστάτην δηλοῖ. ὁ ἀπόστολος τίς δὲ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ; *Beliar hebræa voce deſertorem ſignificat. Apoſtolus.*

† S. Hieron. in verſione pſalmi 18. & 40. V. eiuſdē Comment. in ep. ad Epheſ. 4. & ad Cor. 6.
† S. Cyrill. in orat. de exitu Animæ.
† V. Auct. queſt. & Reſp. ad Orthod. qui pro Iuſtino Mar. habitus eſt. quæſt. 87.
† Poſt. ad Corinth. cap. 6.
† Auguſt. Steuc. in Recogn. veteris teſtam. ad c. 13. Deut.
† Iſa. cap. 14.

Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?

Nihil igitur, opinor, vetat, quominus hunc Dauidis locum *Non proponebam ante oculos meos* דבר בליעל *rem Belial* ita exponamus. Quidquid ſuperſtitioſum eſt, ac Dæmonum arte factum id ſemper abominatus ſum. Enimuero, quoniam ius Pietatis poſtulat, vt Deum non modo adorare, atque ex animo diligere, ſed etiam quicquid ipſi aduerſatur, id odiſſe, & execrari debeamus (vtrumque enim verba hæc: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me*, complexa ſunt,) vtique Dauid, quippe qui perambularet in innocentia, ſeu perfectione cordis ſui, nec ſibi proponeret rem Belial; perfectam, omnibuſque ſuis numeris abſolutam Pietatem præſefert.

Exod. 20.

QVI

QVI DAEMONIS OPEM IMPLORAT ET QVI OPERA QVAM DAEMON SVA SPONTE OFFERT, VTITVR IMPIVS EST.

CAP. XIX.

ESſe porro aliquos Principes, qui cupidine occulta, futuraque noſcendi, theſauros inueniendi, vitæ producendæ, firmandique imperij, Magos, & Aſtrologos, *Angelos* nimirum *Dæmonum* (ſic enim eos vocat Tertullianus) conſulunt, & Belial opem implorant, ex hiſtoria cum ſacra, tum profana ſæpe compertum eſt. Id, quam impium ſit, nihil attinet dicere. Quis enim ignorat, eum, *qui Ariolos ſciſcitetur, qui Pythones conſulat, ac Diuinos, & quærat a mortuis veritatem*, Deo, hæc omnia valde abominanti, grauiſſimam iniuriam facere, ac proinde impie agere?

Tertull. lib. de Idolat. c. 9.

Deut. cap. 18.

Sed quærat hic fortaſſe aliquis, an qui opera, quam Dæmon, haud ille quidem euocatus, ſed ſua ſponte offert, vtitur, extra culpam ſit. Finge Chriſtianum aliquem Principem cum Turcis bellum gerere. Aquæ vinique commeatus in caſtris eius defecerit. Ea ſit cæli facies, vt nullam pluuiæ ſpem oſtendat: Ea terræ, vt, ſtirpibus exuſtis, ſiccatiſque circumquaque fontium venis, miſere fatiſcat. Milites porro tanta laborent ſiti, quanta Romanus exercitus a Marco Aurelio in Marcomannos, & Quados ductus laboraſſe legitur. Cedo, liceatne

F in

in tanto diſcrimine Chriſtianis hominibus a Dæmone, imbrem vltro pollicenti, (ſi nullum ei cultum tribuerint), beneficium accipere?

Dicam ſemel. Non licet. Nam cum praua res, natura ſua, ſit quodlibet cum Dæmone, capitali, quippe Dei hoſte, tamquam cum amico, ſocioque habere commercium; vtique nefas eſt, vllum ab eo beneficium accipere.

Atqui prudentiſſimi etiam Duces (inquies) dona quædam, ſalua fide, ab hoſte quandoque accipiunt. Ita eſt. Sed non perinde res geritur cum Dæmone, atque cum homine. Enimuero cum homine, qui hoſtis ſit paciſcimur interdum, ac facimus inducias; cum Dæmone autem, cuius nimirum voluntas in malo obſtinatiſsima eſt, non item. Quemadmodum igitur Dux, qui, feruente bello, munus aliquod ab hoſte, hoſtili conſilio, miſſum acciperet, perfidus haberetur, pœniſque tanto ſceleri debitis obnoxius foret; ſic profecto, qui cum Dæmone, perpetuo ſcilicet Dei hoſte, quippiam ab eo muneris loco accipiens, communicat, quin detestabile ſcelus committat, grauiſsimoque proinde ſupplicio dignus ſit dubitandum non eſt.

DAE-

DÆMONIS BENEFICIA, MALEFICIA SVNT.

CAP. XX.

ADde, quod non impius modo in Deum eſt homo iſte, ſed ſtultiſsimus etiam, ac miſerrimus. Quippe nihil eo ſtultius, ac miſerius excogitari poteſt, qui Dei, bonorum ſcilicet omnium auctoris ope neglecta, ad illum, qui malorum omnium eſt architectus confugiat. ΑΓΑΘΟΣ ὁ θεὸς, inquit Baſilius Magnus, καὶ ἀγαθῶν τοῖς ἀξίοις παρεκτικός· πονηρὸς ὁ Διάβολος καὶ κακίας παντοίας δημιουργός. καὶ ὥσπερ ἕπεται τῷ ἀγαθῷ ἡ ἀφθονία, οὕτως ἀκολουθεῖ τῷ Διαβόλῳ ἡ βασκανία. *Bonus eſt Deus, & bonorum dignis dator. Malus eſt Diabolus, & improbitatis omnis artifex. Quemadmodum vero bonum comitatur vbertas, ita Diabolum ſequitur inuidia.* Ex Ethnicis etiam nonnulli, Dæmonas humano generi perniciosos, ingenue faſsi ſunt. Soſthenes apud Minutium Felicem *Dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos.* Plutarchus in vita Dionis traditam fuiſſe a veteribus opinionem, ait ὡς τὰ φαῦλα δαιμόνια, καὶ βάσκανα προσφθονοῦντα τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν καὶ ταῖς πράξεσιν ἐνιστάμενα, ταραχὰς καὶ φόβους ἐπάγει, σείοντα καὶ σφάλλοντα τὴν ἀρετὴν ὡς μὴ διαμείναντες ὀπλαῖτες ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀκέραιοι βελτίονος ἐκείνων μοίρας μετὰ τὴν τελευτὴν τύχωσιν. *Quod mala & inuidia Dæmonia cum viris bonis inuideant, eorum rebus gerendis obſiſtunt, perturbationes & metus inducunt, virtutem concutiunt, deijciuntque, ne ſi ſtabiles, incorruptique in boneſtate perſtiterint, meliori poſt obitum*

s. Baſil. orat. de Inuidia.

Minut. F. in Octauio.

Plutar in vita Dionis.

V. eumdē lib de orac. & lib. de Iſide & Oſir.

V. Themiſt. orat. 9. Liban. orat. περὶ σκιᾶς *vtantur fato, quam ipſa*. Denique Porphyrius (vt de alijs taceam) in eo libro, quem de abſtinendo ab eſu animalium ſcripſit, quam prauum ſubdolum, mendax, turbulentum, & hominibus exitioſum Dæmonum ingenium ſit, dilucide docuit.

At enim cum aliquibus hominibus Dæmon ſocietatem inijſſe, ijſdemque benigne feciſſe fertur.

Nempe Spiritus nequiſſimus, vt eſt Diuinitatis, quam certe quidem natura beneficentiſsimam eſſe nemo ignorat, æmulus, amat interdum hominum ſtudioſus videri, ac beneficus. Verum, quod piſcibus eſt hamus, id hominibus Dæmonis beneficia eſſe ſolent. Blanditur nimirum, vt poſtmodum ſæuiat, illicit, vt interimat, fit ſocius, vt, quibus adhæret, eos in æternorum cruciatuum ſocietatem trahat. Haud inepte, opinor, dixeris de beneficijs Dæmonis, quod Sophocles de enſe, quem Aiax ab Hectore inimiciſsimo, dono accepit:

Ἀλλ' ἐς' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα.
At verum eſt mortalium prouerbium.
Hoſtium dona non dona, nec vtilia.

S. Io. Chryſ. ſerm. 1. adu. Iudæos. Tantam iſtam perniciem ſpecie benignitatis fallentem, Sanctus Iohannes Chryſoſtomus cum olim dicendo exaggeraret, Chriſtianos, qui Dæmoniacis remedijs vterentur, a nefaria ſuperſtitione, grauiſſimis hiſce verbis verbis abſterret. Σῶμα θεραπεύσεις, ἵνα ψυχὴν ἀπολέσῃς; ὡς καλή σου ἡ ἐμπορία· τὸν ποιητὴν τοῦ σώματος παροργίζεις Θεὸν· καὶ τὸν σὸν ἐπίβουλον εἰς θεραπείαν ἐπικαλῇ. *Corpus curabis, vt animam perdas? Quam præclara eſt negociatio tua! Deum corporis conditorem irritas, & inſidiatoris tui curationem imploras?* Et paulo poſt. κἂν νοσήσωμεν· βέλτιον

ἐν

ἐν ταῖς ἀρρωστίαις μεῖναι, ἢ διὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῆς ἀσθενείας, εἰς ἀσέβειαν καταπεσεῖν. κἂν γὰρ θεραπεύσῃ δαίμων μεῖζον κατέβλαψεν ἢ ὠφέλησεν. ὠφέλησε μὲν γὰρ τὸ σῶμα τὸ πάντως ἀποθανούμενον μικρὸν ὕστερον, καὶ σήπεσθαι μέλλον. κατέβλαψε δὲ τὴν ψυχὴν τὴν ἀθάνατον. καὶ καθάπερ οἱ ἀνδραποδισταὶ τραγήματα καὶ πλακοῦντας καὶ † τρωγάλια, καὶ ἕτερά τινα τοιαῦτα, πολλάκις τοῖς μικροῖς προτεινόμενοι παιδίοις, καὶ δελεάζοντες, τῆς ἐλευθερίας αὐτὰ καὶ τῆς ζωῆς ἀποστεροῦσιν αὐτῆς· οὕτω δὴ καὶ οἱ δαίμονες, μέλους ὑπισχνούμενοι θεραπείαν, ὅλην τῆς ψυχῆς καταποντίζουσι τὴν σωτηρίαν. *Quamuis ægrotemus, melius eſt, nos in morbo eſſe, quam, vt eum depellamus, ad impietatem prolabi. Vt enim Dæmon ſanauerit, certe plus obfuit, quam profuit. Nam corpori quidem, cui omnino paulo poſt moriendum eſt, & quod putreſcet, emolumentum, animo autem, qui eſt immortalis, detrimentum attulit. Ac quemadmodum Plagiarij bellaria, placentas, cicer frixum, aliaque eiuſmodi ſæpenumero puerulis porrigunt, quibus ineſcatos, libertate, ipſaque vita priuant, ſic profecto Dæmones membri curationem pollicentes, omnem animi ſalutem peſſumdant.* Hactenus Sanctus Iohannes Chryſoſtomus. Viden, quo Dæmonis beneficia tandem euadant?

† Alij quidam Codices habent ἀστραγάλους, id eſt talos.

Hæc ſane cum ita ſe habeant, merito Principes illi, qui propoſuerunt ante oculos ſuos rem Belial; qui ſcilicet cum Dæmone communicarunt, ſiue cum aliquid ab eo petierunt, ſiue cum oblatum acceperunt, grauiſſimas Deo pœnas dederunt. Eiuſmodi Principum exempla, hiſtorias peruolutantibus haud ignota.

ANDRO-

ANDRONICI COMNENI IMPERATORIS, QVI DAEMONEM CONSVLVISSE LEGITVR EXITVS INFELICISSIMVS.

CAP. XXI.

ECce tibi, vt alios prætercam, Andronicum Comnenum Conſtantinopolitanum Imperatorem. Hunc, quippe Sapientiæ, ac Eloquentiæ laude præcellentem libenter produco, vt quicunque imperant intelligant tandem aliquando, humanam Sapientiam, qua improbi Politici nimium quantum efferuntur, ſæpe, Numine ita volente (machinam fieri, qua tyrannis labefactatur, ac funditus euertitur. Igitur Andronicus cum partum crudeliter imperium crudeliter gereret, proindeque nonnullos principes viros, vt mos tyrannis, haberet ſuſpectos, ad Hydromantiam confugit (huc enim impietatis Crudelitas, nempe natura ſuſpicax, eoque futura noſcendi auida multos adegit) Dæmonemque interrogauit, ecquis poſt ſe imperaturus, imperiumue ſibi erepturus eſſet. Reſponſum Dæmonis eiuſmodi fuit, vt minime dignum ipſi viſum ſit, cui fidem haberet. Ceterum Hagiochriſtophorita Stephanus, impiger nimirum, acerque Imperatoriæ Aulæ moloſſus, Domini ſui ſaluti quouis modo conſultum volens, Iſaaci Angeli, quem oraculo deſignatum credebat, ædes veſperi ingreſſus, eum ſe ſequi iuſſit. Iſaacius prius cunctari, poſtea vim ſibi fieri ſentiens,

tiens, metuin audaciam verſo, equum conſcendere, ſtrictoque enſe in moleſtum Lictorem irruere, medioque ipſius capite diſſecto, laxis habenis ad magnum templum contendere. Totam illam noctem ſic exegit Iſaacius in templo, vt non de imperio cogitaret, ſed exitium deprecaretur. Aberat ab Vrbe tunc forte Andronicus, ac in Meludienſi Palatio, animi gratia morabatur. Ibi cæde Hagiochriſtophoritę ſub primam noctis vigiliam, audita, nil aliud fecit, niſi Ciues breui ſcripto admonuit, vt rebus nouis ſtudere deſinerent: eorum enim non paucos turbas dare, atque Iſaacio fauere cognouerat. Mane imperatoria triremi ad magnum palatium peruehitur. Sed populus, nec eo monitu, nec nuncio de reditu Imperatoris ab incœpto deterritus eſt, quinimmo, effracto carcere, vinctiſque abire iuſsis, Romanorum Imperatorem ſalutauit Iſaacium. Andronicus vbi ad magnam Curiam peruenit, primum confuſo clamore, mox etiam re ipſa perculſus, vt perpaucos ab ſe ſtare vidit; ipſemet, correpto arcu, ex turris, quæ Centenarium appellatur pinnaculis, ſagittas in turbidos iacere aggreſſus eſt. Verum eo genere armorum cum nihil proficeret, remque eo loci deductam intelligeret, vt, gliſcente ſeditione, vix vlla imperij retinendi ſpes eſſet: poſito arcu, Ciues, paſsis manibus obteſtatur, vt, quandoquidem ipſum imperij poſſeſsione deijcere ſedit animis, Manuelem ſaltem filium deinceps imperare patiantur. Sed fruſtra. Nam Ciues ijs verbis magis irritati, conuicia tam in illum, quam in Manuelem atrociſsima congeſſere. Poſtquam vero, perfracta porta, quæ Carea dicitur, in palatium turba penetrauit, in fugam conuerſus Andronicus,

nicus, purpureo calceo, & Cruce, quam de collo ſuſpenſam geſtabat, vt ſi Numinis ira agitaretur, abiectis; barbaricoque pileo capiti ſuo impoſito, imperatoriam triremem conſcendit, atque haud ſegniter ad Tauroſcythas nauigauit. Ad hunc modum Andronico deiecto, Iſaacius palatium feliciter ingreſſus, iterumque a frequentia populi Romanorum Imperator Auguſtus conſalutatus, protinus ſatellites miſit, qui prædam ſibi dudum e manibus elapſam perſequerentur. Chelen iam peruenerat cum paucis miniſtris, nauimque aſcenderat Andronicus, cum ecce mare inhorruit, & nauim ad litus eliſit. Diceres ipſum quoque mare ira incitatum efferbuiſſe, quaſi hominem, qui cum Belial ſocietatem iniſſet, ſuſtinere diutius grauaretur. Hoc porro obſtitit, quominus ante ſatellitum aduentum, traiecerit Andronicus. Igitur miſer comprehenſus in nauiculam imponitur, ac duabus grauibus catenis vinctus, compedibuſque oneratus ad Iſaacium perducitur. Hic omnibus data licentia eſt quidlibet in eum audendi. Itaque alapę illi impinguntur, nates pulſantur, barba, & capilli velluntur, dentes excutiuntur. Etiam a mulieribus, ijs vero præſertim, quarum maritos, vel occiderat, vel excæcarat, pugnis obtunditur. Tum præciditur ei dextera, ſicque mutilus truditur in ergaſtulum. Poſt aliquot dies alter ei oculus effoditur, & breui tunicula tectus, camelo ſtrigoſo imponitur, ac per forum, triumphi ſpecie, traducitur. Incredibile dictu eſt, quam efferatis animis plebs petulantiſſima debacchata ſit. Videres alios ſpongias lotio madentes in faciem hominis exprimere; ſtercore alios nares opplere, alios verubus latera ſtimulare, caput

alios

Digitized by Google

alios lapidibus petere. Et ſcortum impudens fuit; quod ollam feruenti aqua plenam è culina raptam, in eius caluam effudit. Nemo denique erat, qui non ipſum conuiciaretur, maleque multaret. Ita per ſummam ignominiam in Theatrum perductus, moxque camelo detractus, inter duas columellas pedibus ſuſpenſus eſt. Ad affluentem, & laſciuientem turbam conuerſus, nil dicebat aliud, niſi DOMINE MISERERE, & QVID CALAMVM CONTRITVM INFRINGITIS? At væſana, nec ſuſpenſo, & peccatorum ſuorum veniam à Deo petenti pepercit; direpta namque tunicula, inhumaniter eius virilia vexauit. Duo reperti ſunt, qui, ambabus annixi manibus, nates miſero transfixerunt, vtrius enſis eſſet acutior, periculum facturi. Neſcioquis demum per fauces vſque ad inteſtina ſemiuiuo longum enſem adegit. Sic vitam finiuit Andronicus, mutilata dextera ægre ad os admota, calidum ex ea ſanguinem, vt multi putabant, ob recentem plagam adhuc diſtillantem, exucturus. Diebus aliquot elapſis, ex furca illa infami detractum cadauer ſub fornicem quemdam Theatri ad contumeliam proiectum eſt, ibique tamdiu iacuit, donec humaniores quidam, non illud ſane ſepelierunt (nec enim id nouus Imperator permiſit) ſed inde ſublatum alio tranſtulerunt.

Huc Andronicum Comnenum Imperatorem, hominem enimuero magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi licentiâ metiri ſolitum, Dæmonis reſponſum perduxit. Atque hæc quidem ex Niceta Hiſtorico grauiſſimo, qui æuo illo vixit, carptim fere, ac ſummatim.

G DA-

Digitized by Google

DAVID HOMINIS IMPII, ET NEQVAM OPERA NON VTEBATVR.

CAP. XXII.

QVoniam vero בליעל non Dæmonem modo, ſed hominem etiam exlegem, & רָשָׁע, hoc eſt impium, ſeu רֶשַׁע, impietatem ſignificat, hoc ſibi velle videtur Dauid: Non proponebam ante oculos meos hominem qui ſit in Deum impius, ſiue, vt eius dicta, factaue imitarer, ſiue, vt ab eo conſilium acciperem, ſiue, vt Remp. ei committerem. De huiuſmodi homine impio ſic loquitur Nahum: *Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prauaricationem.* Hebraice: *Conſiliarius* בליעל *impietatis*, vel *qui dat conſilium impium.* Affatur autem Propheta Nahum Niniuem, quæ cum, Iona concionante, ſcelera ſua deteſtata, imminentem perniciem effugiſſet, paucis tamen poſt diebus a Deo deſciuit, ac ſexcentis ſe ſe flagitijs inquinauit. Is qui ex ea *prodijt cogitans contra Dominum malitiam, ſeu Conſiliarius impietatis*, fuit, vt interpretatur Theodoretus, Sennacherib, cuius nefarias haſce voces nemo ſine horrore legerit. *Non vos ſeducat Ezechias, non enim poterit eruere vos de manu mea. Neque, fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur Ciuitas hæc in manum Regis Aſſyriorum.* Porro quam bene hæc vox בליעל a בלי, *ſine*, & על *iugo*, in illos conueniat, qui, orthodoxæ fidei iugo excuſſo, more iuuenci indomiti, per opinionum ſuarũ præcipitia feruntur, nemo non intelligit.

Nahum. cap. 1.

Theodoretus Com. in Nahum.

4. Reg. c. 18.

Neque

Neque tamen Rabbi Dauidis Kimki , בליעל *hominem* etiam *nequam* , *inutilem* , ac *nulli commodum* à בלי *nequaquam* , & יעל *aſcendet* , ideſt *proficiet*, ſignificare dicentis , notationem reijcio, quin eam vltro amplector , nam profecto homines in Deum impij , nec ſibi , nec Regibus vtiles eſſe poſſunt. Teſtimonio ſunt nonnulli Principes , qui cum impiorum hominum opera fieri poſſe putaſſent, vt ſurgerent altius , imperiumque longe lateque propagarent ſuum , eo ruerunt miſeriarum , vt vix vllum priſtinæ ipſorum fortunæ veſtigium relictum ſit. Vt non longe abeamus , Andronicus Comnenus Imperator , ecquamnam ex Hagiochriſtophorita , quo familiariſſime vtebatur , & cuius opera Dæmonem ad futura ſibi prædicenda euocauit , vtilitatem cæpit ? Nempe non aliam , niſi crudeliſſimum , ac miſerrimum interitum. Totam enim illam tragœdiam, quam paulo ante commemorauimus, & qua neſcio equidem , an atrocior vlla vnquam extiterit, iſte Hagiochriſtophorita Stephanus excitauit.

FACIENTES PRAEVARICATIONES ODIVI

DAVID ODERAT EVM, QVI A VERO DEI CVLTV DECLINARET.

CAP. XXIII.

HEbræorum alij סטים *declinantes* interpretantur , alij *declinationes*. Cum his faciunt

LXX. Interpretes, qui in hunc modum verterũt: *ποιοῦντας παραβάσεις ἐμίσησα*, *facientes tranſgreſſiones, ſeu præuaricationes odi*. Eodem videtur hic verſus pertinere quo ſuperior; Nam Rabbi Dauid Kimki in Commentarijs in Ole: שטים *declinantes* eos interpretatur, qui a vero Dei cultu ita declinant, vt vxores a viris ſuis. Niſi vero dicamus illis verbis דבר בליעל homines, qui perfricta fronte impietatem profiteantur, deſignari; his vero עשה סטים *facere præuaricationes*, eos, qui cum palam ſe Orthodoxos venditent, clam tamen cum impijs conſentiunt. Certe S. Cyprianus *ſpei noſtræ, ac fidei præuaricatores* eos appellat, *qui cum verbis proferant virtutem, factis deſtruunt Veritatem*. Huic interpretationi fauet noſter Latinus Interpres; *Præuaricator enim*, vt ait Vlpianus l. 1. D. De Præuaric. *eſt quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat, prodita cauſſa ſua*. Iſtas omnes peſtes, Chriſtiani Principes, ſi Dauidem imitantes auerſentur, oderintque, haud equidem dubito, quin omnem impietatem, & præuaricationem innumeri propediem deteſtaturi, veramque Religionem in precio habituri ſunt. *ὅτῳ γὰρ βασιλεὺς χαίρει* (inquit Syneſius) *τοῦτ' εὐθὺς αὔξειν ἀνάγκη, καὶ ὑπὸ πλειόνων ἐπιτηδεύεσθαι*.

S. Cypr. lib. de Mortalit.

Syneſ. Orat. de Regno.

Quocunque enim Rex gaudet, hoc
ſtatim inualeſcere, & a ple-
riſque ſtudioſe affectari,
neceſſe eſt.

NON

NON ADHAESIT MIHI COR PRAVVM.

DAVID ADVLATOREM SIBI ADHAERERE NON PERMISIT.

CAP. XXIV.

לבב עקש *Cor prauum, peruerſum hominem, verſutum, ac veri ſpecie fallentem* ſignificat. עקש eſt *peruertere, obliquare, tortuoſum reddere.* Apud LXX. Interpretes *καρδία σκαμβὴ* eſt *cor prauum, obliquum, ἀπὸ τοῦ σκάζειν claudicare.*

Viden Adulatorem ſuis coloribus depictum? Nempe adulator id maxime ſtudet, vt compendij ſui gratia (*κόλαξ* enim, hoc eſt adulator ab hac voce *κόλος cibus* duci videtur) illos, apud quos ſe ſe inſinuauit, & quorum lateri adhæreſcit, Amicitiæ, Veritatiſque ſpecie decipiat. *φαινόμενος φίλος ὁ κόλαξ ἐστὶ*, ait Ariſtoteles; *ſpeciem habet diligentis adulator*. & Seneca: *Adulatio, quam ſimilis eſt Amicitiæ? Non imitatur tantum illam, ſed vincit, & præterit; apertis, & propitijs auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo lædit*. Hoc nomine Scyllæ comparatur, cui a capite ad ilia vſque, ſpecies Virginis tribuitur, ceterum à fœmore quod reliquum eſt, in horrendos canes deſinit. Miſeram plane Imperantium conditionem, quorum ſcilicet opes ac tantum non mentes, canes iſti deuorare ſoleant! Quidni igitur vna cum Græco illo Parmenione exclamem

v. Etymol. Magnum.

Ariſtot. lib. 1. Rhet.

Sen. ep. 45.

Anthol. lib. 1. c. 12.

Mi-

Μισῶ πλοῦτον αἰσχρὸν, κολάκων τροφόν;

Odi ſtultas diuitias, aſſentatorum cibum.

Obſeruandum etiam hoc loco verbum hoc ירבק *adhærebit*, ſeu *adhæſit*, eſt enim רבק *adhærere*, *agglutinari*. Græce eſt ἐκολλήθη à verbo κολλάομαι *adhæreo*. Quippe κόλαξ non inepte παρὰ τὸ κολλᾶσθαι κόλλαξ τις ὤν, blanditiarum enim lenocinio, ceu quodam glutino ita Dominum ſuum adulator ſibi agglutinat, vt ambos vnum quippiam eſſe dicas. Sane quemadmodum Polypus eidem illi ſaxo, cui adhæreſcit, agglutinaturque concolor factus, perinde ac mirus aliquis præſtigiator hominum oculis ita illudit, vt vnum idemque met ſaxum eſſe videatur; ad eundem modum quamplurimi, Principibus, quibus tenaciter adhæreſcunt concolores aſſentando facti, eo ſuis artibus venire ſolent, vt ipſimet Domini eſſe videantur.

Etymolog. Magnum.

V. S. Gregor. Naz. Orat. 17. S. Baſil hom. 9. in Hexa. & ὁμιλ. περὶ τοὺς νέους. Plutar. lib. de Diſcrim. adul. & amici. Iulia. Aug. Miſopog.

ADVLATOR EST PESTIS HVMANI GENERIS.

CAP. XXV.

IAm, quam pernicioſus humano generi ſit adulator, & ex profanis, & ex ſacris Auctoribus paſſim diſcimus. Diphilus antiquus Comicus

ὁ γὰρ, inquit,
κόλαξ στρατηγὸν
καὶ δυνάστην, καὶ φίλους
καὶ τὰς πόλεις ἀνατρέπει λόγῳ κακούρ-
γῳ μικρὸν ἡδύνας χρόνον.

Aſſen-

Aſſentator enim Ducem exercitus
Et Primatem, & Amicos
Et Vrbes euertit, ſermone facinoroſo
Exiguum tempus oblectans.

Syneſius vero, ὑπὸ μόνης γέτοι ταύτης (κολακίας) καὶ ἀγρυπνούντων τῶν δορυφόρων, ληΐζεται βασιλεία εἰσφέρεται γὰρ, ἂν μὴ καὶ πάνυ εἴργηται, μάλα ἐνδοτέρω τῶν ταμιείων καὶ ἐπιχειρεῖ τῷ κυριωτάτῳ τῶν βασιλέων αὐτῇ τῇ ψυχῇ. *ſola quippe adulatio, etiam vigilantibus ſatellitibus, imperium deprædatur, niſi enim penitus arceatur, in ima vſque conclauia ſenſim penetrat, ipſamque Regum præſtantiſſimam partem animam aggreditur.* Sed eloquentiſſime noſter Dauid in Pſalmo quinto, damnum, quod ab adulatore proficiſcitur ita deſcripſit. *Quoniam non eſt in ore eorum Veritas; cor eorum vanum eſt. Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant. Adulatores & ſeductores* (audiamus Ruffinum) *recte ſepulcra patentia dicti ſunt, qui non habendo vitam Veritatis, quodammodo exanimes homines ſunt. & mortuos in ſe recipiunt, quos verbis mendacibus, & vano corde interemptas in ſe conuertunt.* & in Pſalmo CXL. hæc ipſa pernicies paucis hiſce verbis oſtenditur. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quo loco codex Hebræus pro *impinguet*, habet יני *frangat.* Et re vera ſubdola illa adulatoris (eius vero præſertim adulatoris, *a quo laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ*) verba, quæ quidem precioſa vnguenta eſſe videntur, lapides ſunt, quibus hominis caput contunditur. Videtur autem Dauid in hunc modum loqui. Nunquam peſſimum illud aſſentatorum genus patiar, quorum verba (dicam verius verbera) eo ſtuporis, amentiæque hominem perducunt,

Syneſ. Orat. de Regno.

Ruffin. in Pſal. 5.

cunt, vt cum totus contuſus, fractuſque ſit, adeo tamen non doleat, vt potius, quaſi ſi non lapidibus appetitus, ſed vnguentis perfuſus eſſet, optime ſe valere putet, gaudeatque. Sane adulator, qui alie-

S. Chryſoſt. Orat. in Saulé.

num vitium laudat, ſi Chryſoſtomo credimus, grauiori ſupplicio obnoxius eſt, quam is qui flagitioſe viuit, ὁ γὰρ ἐπαινῶν πορνείαν τῆς ἐκ τοῦ μετανοῆσαι θεραπείας αὐτὸν ἀποστερεῖ. *Nam qui vitium laudat*, hominem, *eodem vitio laborantem, medicina, quæ ex pœnitentia petitur, priuat*.

ADVLATIO CAVETVR VIRTVTIS PRVDENTIAEQVE BENEFICIO.

CAP. XXVI.

Porro tantum malum, qua tandem ratione Princeps cauebit? Vtique non alia (docet Themiſtius) niſi Virtute, ac Prudentia ducibus. Sic

Themiſt. Orat. 3

enim, vt eſt in fabulis, Hercules ex ephœbis egreſſus, hoc eſt Vir ſapiens, duo illa montium cacumina, Amicitiæ nimirum, & Adulationis, quæ procul intuentibus in vnum faſtigium coaleſcere videbantur, non niſi Virtutis, Prudentiæque beneficio diſcreuit. Solus igitur Vir prudens, quippe qui cæco illo amore ſui, à quo plerique φιλοκόλακες fiunt, ſuperior ſit; &

Ariſt. lib. 1. Rhet.

qui ſciat, ſe ab adulatore non amari. (nam τὸ φιλεῖσθαι ἀγαπᾶσθαί ἐστιν αὐτὸν, *amari eſt ipſum propter ſe*, nulla ſcilicet vtilitate quæſita, *carum eſſe*.) ſeque, alioſque

M. Aurel. de Vita ſua lib. 1.

poterit regere. Talis nobis deſcribitur Antoninus Pius Imperator; fuit nempe Marci Antonini Filij

eius

eius teſtimonio *ἀνὴρ πέπειρος, τέλειος ἀκολακεύτως προεστάναι δυνάμενος καὶ τοῦ ἑαυτοῦ, καὶ ἄλλων. Vir maturus, abſolutus*, ADVLATIONE SVPERIOR, *ſibi ipſi, aliiſque regendis par*. Ita eſt omnino. Solus Vir prudens adulationis venenatam potionem cum voluptate necantem cauere poteſt.

RATIO
QVA PRVDENTIA COMPARATVR.
CAP. XXVII.

QVi velit igitur prudens euadere, primum ei ad æternam illam Prudentiam, quam initio huius Pſalmi Dauid implorauerat, & ſine qua nihil quiſquam ſapit, confugiendum eſt: tum pro virili ſua enitendum, vt quæ Viri ſapientes Prudentiæ præcepta tradiderunt, ea diligenter teneat, exequaturque. Illud vero in primis, vt, vel monitores non inuitus audiat, vel doctorum virorum de vita recte inſtituenda monumenta ſerio legat. Memini certe nobiliſſimum Virum, qui a domeſtico adulatore turpiter circumducebatur, omniumque fabula factus fuerat, aurei illius libelli, quem ſcripſit Plutarchus de diſcrimine Adulatoris & Amici Lectione ſanatum. Res ita ſe habuit. Antiquæ probitatis vir, cum eum pro veteri amicitia ſæpe admonuiſſet, vt viperam e ſinu excuteret, ac ſaluti, famæque ſuæ conſuleret, ſurdoque cantilenam ceciniſſet, ex me aliquando quæſiuit, haberemne in meis pixidibus (ſic libros appella-

bat) præſens aliquod pharmacum; quod amico propinaret. Ego, memor, à Sancto Philippo Nerio, delicatos illos, qui Monitoris frontem ferre nequibant, librorum opera curati ſolitos fuiſſe, reſpondi, videri mihi eum Plutarchi librum, quo amicus ab adulatore diſcernitur, ex vſu fore. Placuit Viro conſilium, atque e veſtigio cum libro ad amicum profectus eſt, qui, vt erat bonarum artium non imperitus, viſus eſt magni ingenij partum elegantiſſimum libenter vidiſſe, ac protinus lectioni ſe ſe dedit. Porro cum inter legendum, in eum locum incidiſſet, in quo, tanquam in ſpeculo domeſtici adulatoris mores cernebantur, ſubſtitit paululum admirabundus. Mox, domeſticis audientibus, peritiſſimum animorum medicum eſſe Plutarchum exclamauit. Quid quæris? Ita deinceps vixit, vt eum ex morbo, quo tenebatur, conualuiſſe nemo non ſenſerit. Hoc exemplum libenter attuli, vt qui dominantur, quandoquidem æquis auribus amicorum monita vix vnquam admittunt, ſciant, ab his, qui mortuis familiariter vtuntur; qui bonos, inquam, libros non oſcitanter, ſed ſtudioſe lectitant, eam lippitudinem, quæ impedit, quo minus ab adulatore amicus diſcernatur, Deo adiuuante, poſſe depelli.

* * *

DE-

DECLINANTEM A ME MALIGNVM NON COGNOSCEBAM.

DAVID AB IMPROBORVM CONSVETVDINE ABHORREBAT.

CAP. XXVIII.

EVm, qui a recta, piaque viuendi ratione, quam ego inſtitui, declinat, ait Dauid, non cognoſcebam, hoc eſt, vt interpretatur S. Proſper, *propter diſſimilitudinem non probabam*. Enimuero, vt amorem ſimilitudo morum parit, ita ſane odium diſſimilitudo. *S. Proſper in Pſalm. 100.*

Hebraice רע לא ארע *Malum non cognoſcam*, ſiue *non cognoſcebam*. Hæc vox רע *malum* ſonat a רוע, quod eſt *malefacere, & affligere*. Nempe homines mali exitioſiſſimi ſunt, eorum enim quibuſcum viuunt, & pecuniam, & mores, & famam, & vitam perdunt. Ideo cum vepribus, cœno, ſcorpionibus, viperis, locis præruptis, ac tenebricoſis, laqueis, retibus, peſtilentia, & voragine paſſim conferuntur. Quidni igitur eos Dauid, & optimi quique Principes auerſentur?

Apud LXX. Interpretes ita legitur *ἐκκλίνοντος ἀπ' ἐμοῦ τοῦ πονηροῦ, οὐκ ἐγίνωσκον. declinante a me maligno, non cognoſcebam*. Videtur autem ita loqui. Ea erat apud omnes de Iuſtitia mea opinio, vt homines ma-

li,me ignorante,perinde fugerent,ac nocturni fures, laterna ſatellitum procul viſa, fugam arripiunt. Quis non admiretur, ſuſpiciatque eum Principem, qui publicæ ſecuritati ita conſulit, vt eum homines mali perhorreſcant, fugiantque? Tale quippiam de Aula Gregoriana Ioannes Diaconus narrat his verbis. *Qui, vel ſanctimonia, vel prudentia forte carebat, ſuo ipſius iudicio, ſubſiſtendi coram Pontifice fiduciam non habebat.* S. Athanaſij interpretatio hæc eſt, ἐν οὐδενὶ ὄντως φησὶ παρ᾽ ἐπισήμῳ τοὺς πονηρούς, ὡς καὶ τὴν παρουσίαν, καὶ τὴν ἀπουσίαν αὐτῶν ἀγνοεῖν. *Ita,* inquit, *improbi nullo apud me erant numero: vt, & præſentiam, & abſentiam eorum ignorarem.* Theodoretus quoque, οὐ χωρισμὸν ὑπελάμβανον, ait, τὴν τούτου ἀναχώρησιν οὕτως καταφρόνητος ἦν μοι ὁ λίαν τὴν κακίαν αἱρούμενος. *non diſceſſionem putabam eius* (vitioſi) *ſeceſſionem, ita contemnebam hominem, qui vitio deditus eſſet.* Eos Dauid videtur oſtendere, qui ſplendorem natalium, vitiorum tenebris obſcurant. Malus quippe, tametſi nobiliſſimus, eo loco apud Principes eſſe debet, quo ignoti, & viliſſimi quique de plebe. Dignus enim profecto eſt, vt ignoretur, quem non modo inter nobiles, ſed ne inter ciues quidem cenſere auſim, cum virtutis exul ſit, vt eleganter aiebat Philo Iudæus, veræ bonorum patriæ.

S. Athan. in hunc locum.

Philo. Iud. de Nobilit.

N O-

NOBILIVM A MAIORVM VIRTVTE DEGENERANTIVM NVLLA RATIO HABENDA EST.

CAP. XXIX.

A*T aliquando daturum me etiam indignis quædam non negauerim in honorem aliorum* (ait Seneca) *ſicut in petendis honoribus quoſdam turpiſſimos nobilitas induſtrÿs, ſed nouis prætulit. Non ſine ratione ſacra eſt magnarum virtutum memoria, Hic egregijs maioribus ortus eſt? qualiſcunque eſt, ſub vmbra ſuorum lateat. Vt loca ſordida repercuſſu Solis illuſtrantur, ita inertes maiorum ſuorum luce reſplendeant.* Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 30.

Ain tandem Philoſophe? Tune indignis quædam te daturum, non negas in honorem aliorum? Tune, ſpreto Pythagoræ præcepto, *per viam publicam ingrederis?* Tune, inquam, qui, Stoico ſupercilio, *nihil magis praſtandum* eſſe monebas, *quam, ne pecorum ritu, ſequamur antecedentem gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur,* errorem illorum hominum probas, qui turpiſſimos quoſdam claro ſanguine ortos, in petendis honoribus, induſtrijs, ſed nouis prætulerunt? At vide, ne Xerſis, Platani amore capti æmulus audias; quantulum enim ab inſania Xerſis abeſt, qui ſteriles iſtas Platanos (ita inertes illos, qui genus iactant ſuum appellauerim) vſque adeo amet, vt præ inani earum vmbra, quamcunque, fœcunditatem paruifaciat! Seneca de Beata Vita c. 1. vide epiſt. 26. v. Aelia. lib. 2. de Var. hiſt. cap. 14.

Egre-

Egregium vero dictum! *Vt loca ſordida repercuſſu Solis illuſtrantur, ita inertes maiorum ſuorum luce reſplendeant.* Itane pluris apud te eſt inertium quorumdam ſplendor; quam publica vtilitas? Dic ſodes, ſi ob virtutem maiorum inertes honoribus illuſtrentur, quid republica fiat? Nempe miſeram nauſeaturam (ſi modo ipſe tibi conſtare volueris) fatearis, neceſſe eſt. Nam vt ſordes repercuſſu Solis detectæ prætereuntibus mouent nauſeam, ſic profecto iſtiuſmodi nobilium inertia, & turpitudo cum virtute maiorum collata, magis apparebit, ac proinde populos grauius offendet. Et vero nonne videtur tibi Cicero nauſeaſſe cum ſic in Piſonem, qui obrepſerat ad honores, errore hominum, & commendatione fumoſarum imaginum, exclamauit: *O tenebræ; o lutum; o ſordes; o paterni generis oblite, o materni vix memor.* Miror equidem, valdeque miror, mi Seneca, tibi, Viro tanto, verba iſthæc excidiſſe. Quanto rectius alias *hoc in Philoſophia boni eſſe* dixeras, *quod ſtemma non inſpicit!* Quanto verius hæc pro vera nobilitate, Platonem ſecutus, pronunciaueras! *Plato ait, neminem Regem non ex ſeruis eſſe oriundum, neminem non ſeruum ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit. Quis ergo generoſus? Ad virtutem bene a Natura compoſitus. Hoc vnum eſt intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit, neque quod ante nos fuit noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Et hæc tu quidem ſerio, & ad Philoſophiæ regulam.

Cic. in Piſonem.

Sene. epiſt. 44.

Plato in Theæt.

Age nunc, ſi eſt, Senecæ iudicio, generoſus ad

Digitized by Google

virtutem bene a Natura compoſitus; ſi hoc vnum intuendum eſt; vtique non niſi Viri virtute præditi honorandi ſunt. Enimuero cum homines, non ea potiſſimum gratia, in vnam Ciuitatem conuenerint, vt ſimul viuerent, ſed vt recte, beateque viuerent, decet profecto, vt Viris optimis, vtpote plurimum opis ad ciuilem hanc communionem conferentibus, potiores in Ciuitate deferantur; decet contra, vt qui vitijs indulgentes, præclaro huic fini aduerſantur, ij ab omnibus honoribus, atque adeo a Ciuium ſocietate repellantur.

Hæc ſi vera ſunt, quidni dixerim, nobiles illos, qui honeſtæ, beatæque Ciuium vitæ, ſua improbitate, obſiſterent, à Dauide iure merito ignoratos fuiſſe? Quidni Principi, publicæ quietis cupido, eoſdem non ſecus ac Gubernatori portum optanti, procellam, cauendos eſſe cenſeam? Ego vero cenſeo; immo viſus eſt olim Ariſtoteles cenſuiſſe, cum iſtud ipſum hominum genus huiuſmodi coloribus depinxit. κατ' ἀλήθειαν δ' ὁ ἀγαθὸς μόνος τιμητός· ᾧ δ' ἄμφω ὑπάρχει μᾶλλον ἀξιοῦται τιμῆς· οἱ δ' ἄνευ ἀρετῆς τὰ τοιαῦτα ἀγαθὰ ἔχοντες, οὔτε δικαίως ἑαυτοὺς μεγάλων ἀξιοῦσιν οὔτε ὀρθῶς μεγαλόψυχοι λέγονται· ἄνευ γὰρ ἀρετῆς παντελοῦς οὐκ ἔστι ταῦτα. ὑπερόπται δὲ καὶ ὑβρισταί, καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχοντες, κακοὶ γίνονται. ἄνευ γὰρ ἀρετῆς οὐ ῥᾴδιον φέρειν ἐμμελῶς τὰ εὐτυχήματα. οὐ δυνάμενοι δὲ φέρειν, καὶ οἰόμενοι τῶν ἄλλων ὑπερέχειν, ἐκείνων μὲν καταφρονοῦσιν, αὐτοὶ δ' ὅ, τι ἂν τύχωσι πράττουσι. μιμοῦνται γὰρ τὸν μεγαλόψυχον οὐχ ὅμοιοι ὄντες, τοῦτο δὲ δρῶσιν ἐν οἷς δύνανται· τὰ μὲν οὖν κατ' ἀρετὴν οὐ πράττουσι, καταφρονοῦσι δὲ τῶν ἄλλων. *At ſi vere loquimur, ſolus vir bonus honore afficiendus eſt, cui vero vtrumque adſit* (hoc eſt cuius vir-

Ariſt. Ethic. lib.4.c.3.

v. Ariſt. lib.3. Rhetor. vbi agit de Nobilium moribus.

turi

tuti fortuna coniuncta eſt) *is honore dignior habetur. qui vero talia bona* (nobilitatem ſcilicet, diuitias, ac potentiam) *ſine virtute habent, ij, neque ſe ipſos magnis honoribus dignos iuremerito exiſtimant, neque recte magnanimi nominantur; non enim ſine virtute vndique perfecta, hæc conſtare poſſunt. Superbi vero & contumelioſi, & praui fiunt, qui* v. Demoſth. Olynth. 1. *talia bona habent. neque enim facile eſt, ſine virtute res ſecundas compoſite ferre. Cum autem ferre non poſſint, ſeſeque cæteris præſtare putent, eos contemnunt; ipſi quicquid fors tulerit, agunt. Virum enim magnanimum imitantur, cum ei ſint diſſimiles. Quibuſcunque autem rebus poſſunt, hoc faciunt. Nec ea igitur, quæ virtuti conſentanea ſunt, agunt, & alios tamen deſpiciunt.* Hæc Ariſtoteles.

DETRAHENTEM SECRETO PROXIMO SVO, HVNC PERSEQVEBAR.

LEVIATHAN EST SYMBOLVM CALVMNIATORIS.

CAP. XXX.

NVlla, quod ego ſciam, belluarum, Calumniatorem, magis exprimit, quam immanis ille Leuiathan, cuius his verbis apud Iobum forma, Iob. cap. 40. ingeniumque deſcribitur. *Quis reuelabit faciem indu-*

indumenti eius, & in medium oris eius, quis introibit? Portas vultus eius quis aperiet? Per gyrum dentium eius formido. Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquamis ſe prementibus. Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur. Sternutatio eius ſplendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ Diluculi. Quid, quæſo, indumentum, quid medium, vel ſecretum oris, quod, vt eſt Hebraice, fræno compeſci nequit; quid porta vultus, quid formidabilis gyrus dentium; quid robuſta ſcuta, ſquamarumque ita denſa, beneque compacta ſtructura, vt ne ſpiraculum quidem incedat per eas, quid ſternutatio flammeſcens, niſi conficta, miro artificio, mendacia, quæ occultam Viris bonis perniciem ſtruunt? Quid denique fulgor ille, inſtar Auroræ, qua nihil eſt amabilius, ex oculis Leuiathan emicans, aliud eſt, niſi ſpecies illa recti, qua calumniator obtectus, fucum bonis quibuſque Principibus facere geſtit? Cedo, fingine poteſt quicquam horribilius, humanoque generi pernicioſus? Non, vt opinor Διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον (ait Herodotus) ἐν τῇ δύο μέν εἰσι ἀδικέοντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος. ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων, ἀδικέει, οὐ παρεόντων κατηγορέων. ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος πρὶν ἢ ἀτρεκέως ἐκμάθῃ. ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τάδε ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθείς τε ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι: *Detractio namque deterrima res eſt, in qua duo ſunt, qui faciunt iniuriam, vnus, cui fit iniuria. Qui enim detrahit iniurius eſt, quod non præſentem accuſat. Item, qui huic credit iniurius eſt, quod prius credit, quam rem compertam habeat.* Herodot. Polymn. lib. 4.

Et illi cui abſenti detrahitur, ob id fit iniuria, quod ab altero inſimulatur, vt malus, ab altero talis putatur.

Menand.

Aliquid certe ſibi dixiſſe viſus eſt Menander cum dixit:

Ὁ συκοφάντης ἐστὶν ἐν πόλει λύκος.

Calumniator eſt in ciuitate Lupus;

atqui præ fera iſta, quam oculis noſtris Iob ſubiecit, Lupus manſuetum animal eſt.

DAVID CALVMNIATORES PERSEQVEBATVR.

CAP. XXXI.

TAle monſtrum, optimo ſane iure, Dauid perſequebatur, excindebatque, ſiquidem אצמית excindebam, ſeu excindam ſignificat. Et vero boni Principes id magnopere ſtudent, vt Ciues inter ſe amicitiam ſanĉte colant, proindeque Calumniatores, homines nimirum publicis diſſidijs ſerendis, Ciuitatibuſque perdendis natos, planeque dignos, quos Diaboli os appellemus, perſequuntur, excinduntque. Sic veteres Athenienſes, vt refert Iſocrates, de ſummis iniurijs in vno dumtaxat foro iudicari voluerunt: de Sycophantis vero, & apud Theſmothetas, & apud Senatum, & apud Populum, νομίζοντες, τοὺς ταύτῃ τῇ τέχνῃ χρωμένους, ἁπάσαις ὑπερβάλλειν ταῖς πονηρίαις, τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους πειρᾶσθαί γε λανθάνειν κακουργοῦντας, τούτους δ' ἐν ἅπα-

Iſocrat. Orat. de Antidoſi ſub finem.

ἅπασιν ἐπιδείκνυσθαι τὴν αὐτῶν ὠμότητα, καὶ μισανθρω-πίαν, καὶ φιλαπεχθημοσύνην. *Exiſtimantes iſtius generis artifices omnem improbitatem excedere, alios enim conari, vt ſua maleficia tegant, iſtos vero, omnibus in rebus, ſuam oſtentare crudelitatem, & odium ac inimicitiam in homines.* Sic Titus Imperator, vt narrat Suetonius *eos aſſidue in foro flagellis, ac fuſtibus cæſos, ac nouiſſime traductos per amphitheatri harenam, partim ſubijci in ſeruos, ac venire imperauit, partim in aſperrimas Inſularum auehi.* Sic Traianus, vt ex Plinij Nepotis Panegyrico didicimus, *excidit inteſtinum malum, & prouida ſeueritate cauit, ne fundata legibus Ciuitas, euerſa legibus videretur. Itaque calumniatores congeſti ſunt in nauigia raptim conquiſita, ac tempeſtatibus dediti: abirent, fugerentque vaſtatas delationibus terras, ac ſi quem fluctus, & procellæ ſcopulis reſeruaſſent, hic nuda ſaxa, & inhoſpitale litus incoleret, ageret duram, & anxiam vitam, relictaque poſt tergum totius humani generis ſecuritate mœreret.* Sic Magnus Conſtantinus edixit, vt *comprimatur vnum maximum humanæ vitæ malum, Delatorum pernicies, & inter primos conatus, in ipſis faucibus ſtranguletur, & amputata radicitus inuidiæ lingua vellatur, ita vt Iudices, nec calumniam, nec vocem prorſus deferentis audiant. Sed ſi quis delator extiterit, capitali ſententiæ ſubiugetur.* Sic Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius ſanxerunt, vt *calumnioſiſſimum caput, & perſonam, iudicio inrita delationis infamem, deportatio ſequatur.* Sic Carolus Magnus voluit, vt *delatori lingua capuletur* (hoc eſt excindatur,) *aut conuicto caput amputetur.* Sic denique Vuiſigothi

Sueto. in Tito cap. 8.

l. 2. C. Th lib. 10. De Petitio. & vltro datis, & delationib.

l. 2. C. De Calumniatoribus lib. 9.

l. 277. lib. 7. Capitul.

Cod. Vuiſig. lib. 6. gothi (vt de alijs taceam) calumniatorem in poteſtatem accuſati tradere conſueuerunt.

QVAERITVR AN RE VERA DAVID CALVMNIATORES PERSECVTVS FVERIT.

VIDETVR NON PERSECVTVS.

CAP. XXXII.

SEd quærendum nunc nobis eſt, an præclaræ huic Dauidis voci DETRAHENTEM SECRETO PROXIMO SVO HVNC PERSEQVEBAR facta reſponderint.

Itane (dicet aliquis) calumniatores perſecutus eſt Dauid, qui Sibam illum, qui Miphiboſethum, Dominum ſuum affectati regni clam inſimulauerat, tantum abeſt, vt perſecutus ſit, vt eum potius affecerit premio? Res ita narratur in Libri ſecundi Regum cap. XVI. *Cumque Dauid tranſiſſet paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occurſum eius cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus; & centum alligaturis vuæ paſſæ, & centum maſſis palatarum, & duobus vtribus vini. Et dixit Rex Sibæ. Quid ſibi volunt hæc? Responditque Siba. Domine mi Rex: aſini domeſticis Regis, vt ſedeant, & palata ad veſcendum*

dum pueris tuis, vinum autem, vt bibant, ſi quis defecerit in deſerto. Et ait Rex, Vbi eſt filius Domini tui? Reſponditque Siba Regi. Remanſit in Hieruſalem, dicens. Hodie reſtituet mihi domus Iſrael regnum patris mei. Et ait Rex Sibæ: TVA SINT OMNIA QVAE FVERVNT MIPHIBOSETH. Deum immortalem! Siccine Dauid iudicat? Siccine ille Dauid, qui diuinum hoc præceptum probe norat: *Non ſuſcipies* Exod.c. 23.
vocem mendacij, viliſſimorum munerum precio, a mendaciſſimo ſycophanta ſe corrumpi, ac tantum non emi ſinit? Ecquænam, obſecro, fuit præcipitis iſtius ſententiæ cauſſa? Num hominem deguſtati regni, quo nihil aiunt eſſe in hac vita dulcius, Cornel. Tacit.
amittendi metus; num dominandi libido, quæ *cunctis affectibus flagrantior eſt*, perturbauit, egitque ann.lib.15
Ariſt. Rhet.
deuium? Atqui, vt non valde miramur, pleroſque lib. 1. ϗ ἐπεὶ τὸ ἄρχειν ἥδιστον·
Regum, ob ingentem inſidiatorum a quibus obſideri ſolent, numerum, ad formidinem, ſuſpicioneſque pronos eſſe, ac propterea humillimo cuique &c. & quoniam regnare ſuauiſſimum eſt.
credulos; (namque

Prona eſt timori ſemper in peius fides;)

quid eſt tamen, cur is, qui ex medijs periculis per- Senec. Herc. fur.
ſæpe diuinitus ereptus, ſe, tanquam montem *Syon* aduerſus hoſtiles impetus firmatum ſenſerat, inſidias Miphiboſethi adeo pertimeſcat, vt obiectum crimen pro approbato accipiat, hominemque inauditum, & indefenſum, vt mutum piſcem damnet, eiuſque bona peſſimo criminatori adiudicet?

Omnino tale iudicium (ſi, vel Hieronymum, vel antiquos apud Hieronymum Hebræos audiamus) S. Hieronym.
nec culpa caruit, nec poena. *Pro eo, quod in hoc lo-* quæſt. ſiue tra-
co Dauid (verba S. Hieronymi) *immemor fuit ami-* dit.Hebr.c.19.

citia

v. Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 53. *citiæ & fœderis, immo iuramenti, quod habuit cum Ionathan, & tam crudele dedit iudicium, dicens,* TV ET SIBA DIVIDITE AGRVM, *idcirco Roboam, & Ieroboam diuiſerunt regnum eius.* Hæc, ſi vera ſunt, quid ſe Dauid detrahentem ſecreto proximo ſuo, perſecutum iactat? Quid ſe Principibus, tanquam rectam bene imperandi normam proponit? Annon

Lucret.

Vt in fabrica, ſi praua eſt regula prima;
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua, ex parti claudicat hilum,
Omnia mendoſa fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
Praua, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta;

ita Principis illius imperium, qui Dauidem imitari ſtudens, criminatoribus credulas aures præbuerit, mendoſum fiet, obſtipum, prauum, abſonum, ac ruinoſum? Et hæc quidem fortaſſe aliquis.

DEFENDITVR DAVID, SED VT SEMEL INIQVE IVDICAVERIT, EIVS CERTE LAPSVS CAVTIORES PRINCIPES REDDERE DEBET.

CAP. XXXIII.

S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 4. Certe non defuerunt, qui Regis noſtri patrocinium ſuſceperint. S. Gregorius Magnus, Patronus enimuero haud indiſertus, ſic eum defendit, vt ab omni culpæ ſuſpicione vindicaſſe viſus ſit; quam-

quamuis enim, qua ratione tale iudicium iuſtum fuerit, non videat; occulto tamen Dei iudicio iuſtum fuiſſe credit. Verba eius hæc ſunt. *An mente excidit, quod Dauid, qui prophetiæ ſpiritum habere conſueuerat contra innocentem Ionathæ filium ſententiam dedit, cum verba pueri mentientis audiuit? Quod tamen, quia per Dauid factum eſt, & occulto Dei iudicio iuſtum credimus, & tamen humana ratione, qualiter iuſtum fuerit, non videmus.*

Quid ſi Dauid, licet Miphiboſethum tyrannicum quippiam animo voluere perſentiſceret, ei tamen, altera dumtaxat bonorum parte multato, pro ſua clementia, peccatum condonauit? Huc ſane Procopius videtur propendere: Ἴσως (inquit) καὶ μαθὼν τοιοῦτόν τι πεφρονηκότα τὸν νέον, εἰ καὶ τὴν ἀπολογίαν ὡς ἀγαθὸς παρεδέξατο. οὐ γὰρ αὖ, τὸν δεσπότου καταψευσάμενον, σὺν αὐτῷ μερίτην εἰργάσατο, δέον καὶ τιμωρήσασθαι. *Fortaſſis etiam tale quippiam (tyrannicum) iuuenem mente concepiſſe cognouit, & excuſationem, quippe cum bonus eſſet, accepit; non enim illum, qui aduerſus dominum ſuum mendacium dixiſſet (quem certe quidem puniri oportuiſſet,) participem bonorum cum eo feciſſet.* Procop. in lib. 2 Reg. c. 16.

Nihil, opinor, impedit, quominus hanc Procopij ſententiam, tanquam probabilem, ac prope veram probemus, & Dauidi, Regi ſcilicet prudentiſſimo, & integerrimo cauſſam adiudicemus. Nam quod ad iuſiurandum Ionathæ datum attinet, neſcio equidem, cur, ſiue Hebræi, ſiue S. Hieronymus, Dauidem illius immemorem fuiſſe dixerint; etenim tantum abeſt, vt Dauid iuſiurandum neglexerit, & Miphiboſethi curam abiecerit, vt eum, nec a menſa regia, de qua *iugiter veſcebatur*, expu- 2. Reg. c. 9.

liſſe

liſſe viſus ſit, nec, Gabaonitis, in annonæ caritate, ſeptem cognatos Saulis ad necem petentibus, tradiderit.

2. Reg. c. 21. At fruſtra fuerit S. Gregorius. Nihil egerit Procopius. Vicerint, ſiue Hebræi veteres, ſiue S. Hieronymus. Peccauerit Dauid. Inique iudicauerit. Quid tamen? An ideo Principem optimum, quia ſemel perperam iudicauit, veluti normam fallacem reijciemus? At id periniquum fuerit. Quotuſquiſque enim illorum Principum eſt, quos Poetæ Hiſtoricique ſummis laudibus efferunt, qui nuſquam offenderit? plane

Menand. ἁμαρτάνει καὶ ἀνὴρ σοφώτερος

Peccat etiam Vir ſapientior.

Porro Dauidem, clandeſtinis calumniatoribus aures ſuas obſtruere, ac recte ſancteque iudicare conſueuiſſe, ex hoc ſacroſancto teſtimonio, cui

Lib 1. Reg. c. 8 contradicere nefas eſt, perſpicuum fit. *Faciebat quoque Dauid iudicium & iuſtitiam omni populo.* Quin tu igitur, magni Viri, vnico iſto in iure dicundo, errore deprehenſo (ſi quidem error fuit) ſic ratiocinaris? Si Principi ſpectatæ ſapientiæ, ac probitatis, atque adeo ex toto Iſraele ab ipſo Numine ad imperium lecto, ſeruus impoſuit; quis tanta ſit confidentia, vt calumniatorum aures, nullo ſe negotio, euaſurum ſibi perſuadeat? Quis tali exemplo doctus, cum in Leuiathan inciderit, non

Iob. 41. *formidabilem eius gyrum dentium* pertimeſcat?

Primum itaque time, o Princeps, truculentam feram de alienis malis victitantem, & bonorum incrementis ſemper infeſtam, time; nam profecto qui malum, quod vitare poteſt, timet, is non procul abeſt a ſalute.

Deinde

Deinde cogita, quid poſſit acerrima illa criminatorum ſtimulatrix Inuidia, ***malum vetuſtum, prima labes, antiquum virus, ſæculorum venenum, cauſſa funeris***.

S. Petrus Chryſologus Serm. 4

Tum muni, ac ***ſepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire; & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis***. Mihi crede. Si aures tuæ temere criminatoribus pateant: ſi os in eum, qui accuſatus eſt, continuo ſententiam ferat, non ſecus a Leuiathan, *cuius faciem præcedit egeſtas*; hoc eſt, qui eo aſſidue tendit, vt innocentes populetur, tu, bonique omnes vaſtabimini, quam vaſtari ſolet ab apro vinea, quæ caret ſepe; diripi domus a fure, quæ caret oſtio, & ſera. Quid? Cum ea ſit rerum humanarum caligo, vt multi, veri ſpecie decepti, iniquam ſententiam tulerint; tale ſit auricularis tuæ ſepis munimentum, vt, Romanorum Iudicum more, qui etſi reum conſcium criminis eſſe, iurati cognouerant, eum tamen non crimen admiſiſſe, ſed admiſiſſe videri modeſte pronunciabant; ne manifeſta quidem citra ſudorem ingredi permittas. Talis cuſtodia ſit oris, vt ſi forte aures, & animus ceſſerint, ipſum tamen expugnari ſeſe nullo pacto ſinat. Certe quamdiu tacebis, tamdiu dubia erit Victoria: ſimulatque vocem credulitatis tuæ indicem miſeris, & in hominem innocentem quippiam ſtatueris, illico alienæ, tuæque ſalutis victrix calumnia exultabit. Os itaque diligenter tibi occludendum eſt, nec aperiendum, niſi vt in hoſtem eruptionem facias, vt nimirum inſidiatricem aggrediaris, opprimaſque. Ita enim ſceleſta, ſubita vertigine corripietur, tergiuerſabitur, hæſitabitque.

Eccli. c. 28.

Iob. 41.

Meminit huius moris Cic. in Acad. qq. lib. 4. & 2. de legib. v. Iac. Ræuar. Pro trib. c. 21.

Iac. Cuiac. Obſeru. lib. 3. c. 26.

B. Briſſon. Selec. Ant. cap. 1.

Senec. lib. 2. de Ira cap. 14.

v. Themiſt. Orat. 3. de Amicitia.

Equidem non dubito, quin, ſi te in hunc modum geſſeris, victor ſis futurus.

SVPERBO OCVLO ET INSATIABILI CORDE CVM HOC NON EDEBAM

DAVID AMBITIOSIS ET AVARIS MENSA, ET CONSVETVDINE SVA INTERDIXIT.

CAP. XXXIV.

HEbraice eſt. Elatum oculis, & vaſtum corde, ipſum לא אוכל non potero: ſubauditur ferre. LXX. Interpretes legiſſe videntur non אוכל ſed אוכל *συνήσθιον* edebam, ſeu edam. Senſus eodem recidit. Eſt quippe menſa ſymbolum amicitiæ; atque vt vetus quidam Comicus dixit *φύλαξ φιλίας cuſtos amicitiæ*. Sed nec ignoramus, olim apud Hebræos, a Rege menſæ ſuæ primarios miniſtros adhiberi ſolitos fuiſſe. Igitur Dauid homines elatos, arrogantes, & qui nullis opibus, honoribuſque exſatiari poſſent, non tulit, neque ſua menſa, conſuetudine, atque amicitia eos vnquam dignatus eſt. Et merito quidem, nam

Timocles.

στοιχεῖα τῶν κακῶν εἶναι ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν.
Elementa malorum, inſatiabilitatem, & ambitionem eſſe,

neſcioquis vere dictitabat. Afferrem exempla in hanc rem, nihilque regnis pernicioſius eſſe docerem,

cerem, quam voragines iſtas, niſi hoc ipſum a multis iamdudum pertractatum ſcirem.

AMBITIOSI ET AVARI COMPARANTVR CVM BEHEMOTH CVIVS FIT MENTIO IN LIBRO IOB.

CAP. XXXV.

NAe mihi turba iſta inexplebilis vaſtiſſimæ illius belluæ BEHEMOTH in libro Iob appellatæ, videtur perſimilis. *Sub vmbra dormit* BEHEMOTH (ipſius Dei verba) *& in ſecreto calami, in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum ſalices torrentis. Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. In oculis eius, quaſi hamo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares eius.* Iob 40.

Liceat hic mihi (amice Lector) per humanitatem tuam pauliſper immorari. Morulæ fortaſſis non pœnitebit. De Elephanto locum hunc Hebræi, ac ex recentioribus plerique interpretantur. Veteres Patres, cum Græci, tum Latini de Dæmone. Ego de auaris, ambitioſiſque aulicis, vel Elephanto, vel Dæmoni quamſimillimis. Fauet huic noſtræ interpretationi, mihique, vt ita dicam, facem præfert vetuſtiſſimus Auctor, qui de ambitione verba faciens, ad hunc locum libri Iob eleganter alluſit. *Etiam in ſinu Sacerdotum*, in-

Elephanto propter corporis vaſtitatem Behemoth nomen inditum quod ſignificat multas belluas.

Inter opera S. Cypriani, in Serm. de Ieiunio & tentat. Chriſti.

quit, *Ambitio dormit; ibi ſub vmbra recubat in ſecreto thalami* (calami, vt arbitror legendum eſt, non thalami) *ſe fraudolenter occultat*.

Sane Elephantus (nam Dæmonem, hoc eſt Superbiæ parentem, quin ambitioſus referat, dubium non eſt) vt mole corporis, ita ingenij ſolertia ceteris belluis terricolis antecellit. Siquidem *ſyderum ſeruat diſciplinam; Solis exortum motibus, quibus poteſt ſalutat, delectatur munditijs, odores, vnguentaque amat*. Principem à plebe ſecernit; in hanc magnam aquæ copiam dicitur ludibundus effundere, illum officij, cultuſque gratia leniter aſpergere. Adeo vero docilis eſt, vt ſaltantem ad tibiam, ac tympanum; funambulum quoque (ſi Scriptoribus fides) ſcribentemque viderit priſca ætas. Adeo denique gloriæ auidus, vt in bello ſtrenui militis audaciam æquet. Porro cum his, alijſque miris dotibus præditus ſit Elephas, beſtia tamen eſt; immo quo propius ad hominem accedit, eo interdum inhumanior. Quippe iniurijs laceſſitus tegit iram; hominemque incautum, nihilque inſidiarum ſuſpicantem (cum occaſio datur) aggreditur, opprimitque. Eſtne lac lacti, vt aiunt, tam ſimile, quam ambitioſus aulicus Elephanto? Quid, ſi homo ſubdolus ideo a noſtro vulgo BARRVS vocitatur, quia Elephanto, quem certe quidem BARRVM dici conſtat, ſimillimus eſt?

Solinus c. 28.

Iul. Cæſ. Scal. lib. 2. in Hiſt. de Animal.

Hieron. Oſor. de rebus geſtis Emmanu. Regis.

Philoſtr. de Apollon. lib. 2. cap. 7.

Suet. in Nerone & Senec. ep. 85.

Aelian. lib. 2. Hiſt. animal.

v. Plutar. de Solert. animal.

SVB

SVB VMBRA DORMIT BEHEMOTH
ET IN SECRETO CALAMI
IN LOCIS HVMENTIBVS
PROTEGVNT VMBRAE VMBRAM EIVS,
CIRCVMDABVNT EVM
SALICES TORRENTIS.

PALVS
ARVNDINVM
ET SALICVM VMBRA
OBVMBRATA
IN QVA STABVLATVR.
DORMITQVE BEHEMOTH

CAP. XXXVI.

IAm quid paludes opacis arboribus, calamis, & ſecretis arundinibus tectæ, niſi, vel ipſa Aula, in qua nihil fere clarum, & apertum eſt, ſed cuncta dolis obuoluta, & obſcura, vel ipſamet Ambitio, quæ, vt inquit Bernardus, *latebras amat, & tenebras, luciſque impatiens eſt? quæ in imo latet, videt tamen omne ſublime, ſed videri ipſa refugit?* quæ demum *multos mortales falſos fieri coegit?* Quid vero inanium, volubiliumque arundinum vmbram, ſub qua cubat BEHEMOTH, niſi ambitioſorum, vel ſpes vanæ, ac noxiæ, vel in dictis, factiſque inconſtantia? Quid item ſalices paludem, beſtiamque

S. Bernard. epiſt. 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ.
Salluſt.
v. Catenam Græcorum Patrum in Iob.

ſtiamque ambientes, niſi, vel aliorum perpetua infelicitas, vel aliorum repentina felicitas? Sane operæ fruſtra nauatæ ſymbolum ſunt ſalices, quippe quas Homerus ὠλεσικάρπους appellat, noſtri *frugiperdas*, quod earum fructus cum flore pereat. Sunt & magnæ, ſubitæque felicitatis argumentum ſalices, nam, vt M. Verrius Flaccus docet, *a ſaliendo* dictæ, quod in locis irriguis ea celeritate creſcant, vt ſalire videantur. Adde, quod cum *lignorum ſalicum natura ea ſit* (vtor verbis S. Hilarij) *vt arefacta licet ſi modo aquis alluendo alantur, vireſcant, deinde exciſa in humido fixa radicibus ſe ſe ipſa demergant*; eum aulicum illis adumbrari haud inepte fortaſſe dixerimus, qui a ſuo Principe, non ab ambitione deſertus, ſpe tamen ſe alit, illud Menandri ſecum reputans

Home. Odyſſ. x.

Iſai. c. 44. v. Procop. in cap. 44. Iſa. v. Sex. Pomp. ad vocem Salicem Hilar. in Pſal. 138

Ἄνθρωπος ἀτυχῶν σώζετ' ὑπὸ τῆς ἐλπίδος

Homo infortunatus ſpe ſeruatur.

At ergone (inquies) dormit in palude BEHEMOTH? Ergone ſomno locus erit in Aula, in qua dominatur Ambitio, *ambientium crux*?

S. Bernard in lib de Conſid. ad Eugen. c. 1.

Vtrique dormit BEHEMOTH, & ſomno locus eſt in Aula, ſed, cuiuſmodi ſit iſte ſomnus, haud facile intelligitur, niſi ab his, qui norint, quam aulico ad res magnas adſpiranti noxia ſit ſtrepens illa, & importuna vigilantia, induſtriaque, præ qua ceterorum ſtudium habetur pro inertia. Certe Seianus *actu otioſis ſimillimus, animo exſomnis*: L. Piſo, *quo nemo, aut validius otium dilexit, aut facilius ſuffecit negotio*: Salluſtius Criſpus, *cui ſuberat vigor animi ingentibus negotijs par, eo acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat*; quid ſibi velit ſomnus iſte BEHEMOTH, ſatis,

Vell. lib. 2
Idem ibid.
Corn. Tacit. lib. 3. Ann.

tis, ni fallor, aperiunt, ſeque ipſos, corpore quidem ſemiſomnes, animo autem exſomnes, tanquam exempla proponunt ambitioſis.

ECCE ABSORBEBIT FLVVIVM
ET NON MIRABITVR
ET HABET FIDVCIAM,
QVOD IORDANIS INFLVAT
IN OS EIVS.

BEHEMOTH
INSATIABILIS POTVS
CVPIDITAS.

CAP. XXXVII.

BEHEMOTH cum bibit, quia veretur, ne præterlabens aqua deficiat, ideo rapit eam, abſorbetque magno impetu, nec miratur, exiguum fluuium ſuo ventre coerceri, quando vel ipſum Iordanem, vno ab ſe hauſtu, exhauriri poſſe non diffidit.

Non poterat profecto melius opum, honorumque immanis ingluuies deſcribi. Scias nimirum, illos notari, qui vrgent ſe ſe hoc verſu

Nunc manibus rapidis opus eſt, nunc arte magiſtra.

Illud certe noſti de Aula Galbiana: *Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates*. Et illud. Corn.Tacit.
Seruorum manus ſubiti auida, & tanquam apud Idem.
ſenem

Digitized by Google

ſenem feſtinantes. Sed, & meminiſti, opinor, quæ de Iuliani Apoſtatæ, Aulicis, qui λῃστείᾳ, ϗ ἀπληστίᾳ τοὺς πρὶν ἑκατόγχειρας, *latrocinio, & inſatiabilitate*
S. Greg. Naz. Orat. 4. aduer. Iulianum. *priores illos Centimanos* ſuperabant, S. Gregorius Theologus memoriæ tradidit. Caue putes hominem auarum, & ambitioſum vnquam mirari, quod magna ſibi dentur. Tanta enim eſt eius arrogantia, vt ſumma quæque ſuis meritis deberi perſuaſum habeat. *Tanta importunitas hominum eſt* (vere nimi-
Senec. lib. 2. de Benef. cap 26. v. Eiuſd. lib. 5. de Ira c. 31. rum Seneca,) *vt quamuis multum acceperint, iniuriæ loco ſit, plus accipere potuiſſe. Conſummauit dignitatem, ſed patrimonio nihil contulit. Ea dedit, quæ debebat alicui dare. De ſuo nihil protulit*. Sed Hebraicum codicem, ni graue ſit, conſulamus. *Ecce abſorbebit fluuium, & non feſtinabit*. Quid, quæſo, iſtud eſt, quod non feſtinabit? Fluuius dum a bellua corripitur, non feſtinabit. Hauſtu BEHEMOTH fluminis curſus ſiſtitur. Quippe tot, tantiſque diuitijs, honoribuſque ambitioſus iſte abundat, vt Aulam propemodum ex-
R. Moſeh in Comm. hauſiſſe videatur. Addam hanc quoque interpretationem Rabbi Moſeh. *Et non feſtinabit: Ipſe ſcilicet* BEHEMOTH *cum totum fluuium bibit, non hoc facit feſtinanter, nulla enim cauſſa eſt, cur feſtinet, quandoquidem non beſtiam vllam timet, non hominem*. Aut me omnia fallunt, aut, is, veluti digito oſtenditur, qui Aulæ, Regnique arbiter factus, quicquid vult, id, quaſi ſi domi ſuæ natum ſit, ſine vllo cuiuſquam metu, accipit.

Pergit porro Deus. *In oculis eius quaſi hamo capiet eum*; hoc eſt, vel totum amnem ante oculos ſuos fluentem faucibus occupat BEHEMOTH, vel (quod magis nunc placet) Iordanem, quia faucibus

cibus nequit, oculis exhaurit. Nempe altus iſte gurges, &

Antyciras melior ſorbere meracas, Perſ. Saty. 4.

etſi omnes pæne Aulæ opes, dignitateſque ebibit, adhuc tamen ſitit, atque ita ſitit, vt ſummos oculis, & quidem hamatis oculis, honores abſorbeat. En hominis non diram, inexplebilemque modo cupidinem, ſed ſeruilem quoque, in aulico piſcatu, patientiam. Sane hamos, retia, & piſcationem ad lucra quæque *μεταφορικῶς* paſſim traduci, non ignoras. Ariſtippus Philoſophus (vt de hoc vno loquar)

Quem omnis decuit color, & ſtatus, & res, Laert. in vita Ariſtippi.

& quem Diogenes *βασιλικὸν κύνα regium canem* appellabat, quam ſeruiliter a Dionyſio Siciliæ Tyranno pecuniam expiſcatus fuit! Narrat eum Diogenes Laertius, ab iſto ſuo Rege aliquando conſputum, contumeliam illam æquo animo tuliſſe, ac præterea cuidam tantam patientiam ſtomachanti, hæc dixiſſe. *οἱ μὲν ἁλιεῖς ὑπομένουσι ῥαίνεσθαι τῇ θαλάττῃ ἵνα κωβιὸν θηρεύσωσιν· ἐγὼ δὲ μὴ ἀνάσχωμαι κράματι ῥανθῆναι ἵνα βλέννον λάβω;* *Piſcatores, vt Gobium capiant, non ægreferunt, ſe a mari aſpergi. Ego, vt Balænam capiam, ſaliua me aſpergi non patiar?* Et ſic quidem egregius iſte Philoſophus.

Vah quam ingens eſt Ariſtippæorum hamiotarum numerus, qui ſpe magnæ prædæ, totos dies morantur in ſcopulo, nullíſque non ſordibus ſeſe inquinari patiuntur!

* * *

L ET

ET IN SVDIBVS PERFORABIT NARES EIVS

BEHEMOTH AQVAE SE INGVRGITANS, NARES SVAS IVNCORVM ACVLEIS PVNGIT.

CAP. XXXVIII.

DVm aquæ BEHEMOTH ingurgitat ſeſe, nares ſuas carectorum, iuncorumque aculeis perforat, ſauciatque. Nempe ambitioſi datis opibus, honoribuſque minime contenti, ſi quos vident maiora conſecutos, nares, quas alienam felicitatem faſtidientes, corrugarant, ſauciant. Inde alius iudicio Imperantis obtrectat, & fontem, ex quo large potauerat, ingratiſſime turbat. Alius maledicum dentem eius moribus infigit, qui exornatus eſt: Alius hominis natalibus, alius plumbeo ingenio, petulanter illudit: Alij denique vana neſcioquo doctrina, quam certe quidem iſti calami, & iunci Paludis Behemoticæ ſignificant, elati; Ideone, clamitant indignabundi, celeberrimas luſtrauimus Academias, ideone corporis vires lucubrando extriuimus, vt perpaucis iſtis guttis, noſtram enimuero ſitim acrius irritantibus, deluderemur? Ideone mentem reluctantem licet, & parere neſciam, ſub iugum miſimus, atque ad obſequium firmauimus, vt videremus *ſeruos in equis, & Prin-*

v. Procopij Comm in Iſaiã c. 19. ad illa verba Calamus & Iuncus marceſcet.

Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos? Ecclеſ. cap. 10
Vt ſcilicet nos rudibus, bonarumque artium ignaris hominibus poſthaberemur? Egregiam vero Iuſtitiam!

Ergone vilis ſeruus habet regni bona; Petron. Arb.
Idcirco Virtus medio iacet obruta cœno,
Nequitiæ claſſes candida vela ferunt?

Ecquis hæc, aliaque eiuſmodi audiens, non iſtos omnes ex illis eſſe crederet, qui cum, ſpe precio empta, decoxerint, nulloque viatico inſtructi ad canos peruenerint, paſſim conqueruntur, quod aulularijs vmbris illecti, non ſecus quam Aeſopicus ille canis, vt aliena caperent, ſua perdiderunt? Siccine, o inexplebiles voragines, nullum hauriendis magnis quæſtibus ſenſum habetis, niſi inter potandum? Siccine lucri hauſti ſaliua in os rediens, non tam refert rerum iam partarum ſuauitatem, quam quærendi ſitim acuit? O dirum hydropem! O Dipſadis morſum! Quam eſt cupiditas iſta, *quæ felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venerit reſpicit, ſed quo tendat,* Porco ſimilis? Nam Senec. lib. de Senec.

Ὗς τὰν βάλανον τὰν μὲν ἴχῃ τὰν δ' ἐρᾶται λαβεῖν
Inhiat en aliam, glutit dum ſucula glandem. Altæus.

Quam eſt etiam ſimilis cani. fruſta panis, aut carnium a Domino miſſa, hianti ore, captanti? Senec. epiſt. 72
Siquidem quemadmodum canis *quicquid excepit protinus deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat, ita quicquid ambitioſis, auariſque Fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate tranſmittunt, ſtatim ad rapinam alterius erecti, & attenti.*

AMBITIOSORVM QVERIMONIIS PRINCEPS OCCVRRAT VIROS BONOS IDONEOSQVE AD HONORES EVEHENDO.

CAP. XXXIX.

QVamquam autem iſtiuſmodi ambitioſorum voces nonnulli Principes non aliter, quam Elephantorum barritus ſibi aſpernandas ducunt, proptereaquod eas norint ſub optimis quoque, ac ſapientiſſimis Principibus perſtrepere ſolitas; quia tamen nemo non ſuperioris dignitatem querendo, etiamſi non inquinauit, aſperſit; (vix enim adduci poſſumus, vt credamus eſſe quemquam tam duræ frontis, vt niſi aliquid ſubſit veri, magnis mendacijs fidem quærat) ideo bonum Principem vehementer oratum velim, vt pro ſua virili, querimonijs iſtis (quæ profecto ſpernendæ omnino non ſunt, nam grauiſſimorum ſæpe motuum ſemina extitere) obuiam eat. Ibit autem, diuina ope adiutus, ſi Dauidem, Regem quippe iuſtiſſimum, in dandis opibus, honoribuſque, ſedulo imitatus fuerit.

Sub Moſe v. Num. c. 16.

OCV-

Digitized by Google

OCVLI MEI AD FIDELES TERRAE VT SEDEANT MECVM

DAVID VIROS FIDELES, QVORVM CONSILIO CVRAEQVE SE, AC REMP. COMMITTERET, VNDIQVE CONQVIREBAT.

CAP. XL.

NOmen נאמן *fidelem*, *ſtabilem*, *veracem* ſignificat. Deo in Deut. cap. VII. tribuitur. *Ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe*. Ait igitur Dauid: Viros probatæ fidei, conſtantiæ, ac veritatis, quibus me, remque publicam committerem, vndique conquirebam. Nimirum ſanctiſſimus Princeps, ſuperbis, & inexplebilibus hominibus eiectis, in eam curam totus incumbebat, (hoc enim oculi ſignificare videntur) vt ſibi tales adſciſceret Adſeſſores, Conſiliarios videlicet, ac Magiſtratus, qualis ipſe eſſet.

Habent nonnulli, qui elati opinione ſapientiæ, alienum a dignitate ſua eſſe arbitrantur quemquam in conſilium adhibere, (vt de Conſiliarijs prius agamus) præclarum, quod imitentur exemplum.

QVAE-

QVAERITVR AN SAPIENS PRINCEPS ALIQVOS IN CONSILIVM ADVOCARE DEBEAT.

CAP. XLI.

2 Reg.c.14.

AT enim, quidni Dauid, ſi quidem *ſapiens eſt ſicut habet ſapientiam* Angelus *Dei*, ex fonte ſapientiæ ſuæ, quam ex alieni conſilij riuulis, haurire malit? Quid Rex optimus audire optimus deſinit? Nam, vt canit Heſiodus

Heſiod. ἐργῶν καὶ ἡμερ.

οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ

Optimus ille quidem eſt, ex ſeſe qui omnia nouit.

Quid prudentiæ famam, firmiſſimum ſcilicet imperiorum fulcimentum (ſuæ mentis inopiam, conſilium ab alijs quærendo, manifeſtans) imminuit? Hæc tu quidem.

At vnde quæſo, Vir doctiſſime, didiciſti, Principi prudentiæ opinionem affectanti, alienum conſilium eſſe inutile? neque enim quemquam eorum Philoſophorum, qui familiam duxerunt, tale quiddam vnquam excogitaſſe arbitror. Certe Plato, quantum Conſilio tribuerit, ex hoc intellige, quod in Theage σύμβουλον ἱερὸν χρῆμα εἶναι *conſultorem rem ſacram eſſe*; pronunciauerit. Ariſtoteles vero cum

Ariſt. lib. 3. Eth. cap. 3.

dixit συμβούλους δὲ παραλαμβανόμεθα εἰς τὰ μεγάλα ἀπιστοῦντες ἡμῖν αὐτοῖς ὡς οὐχ ἱκανοῖς διαγνῶναι. *In ijs autem rebus, quæ magnæ ſunt,* Conſiliarios *adhibemus, vt qui nobis ipſis diffidamus, tanquam ad eas dijudicandas, diſpiciendasque minus idoneis;* an

annon in ea ſententia fuiſſe viſus eſt, vt, quemadmodum oculi, etſi alia vident, ſe ipſos tamen non vident, niſi adhibito ſpeculo; ita Viri, vel perſpicaciſſimi, vbi de rebus ipſorum arduis agitur, ſibi diffidere, alienoque conſilio vti debeant? Quamquam autem Zenonij, ſiue Stoici, Virum ſapientem, plenum nimirum omni bono, & ſumma adeptum, atque adeo Numini parem, nullius rei egere iactāt; nunquam tamen, vt verum fateamur, adeo deſipuerunt, vt ei alienum conſilium ademerint.

Quæritur (inquit magnus ille noſtrorum Stoicorum Anteſignanus) *an deliberaturus Sapiens in conſilium aliquem ſit aduocaturus. Quod facere illi neceſſarium eſt cum ad hæc ciuilia, & domeſtica venitur, &, vt ita dicam, mortalia. In his ſic illi opus eſt alieno conſilio, quomodo Aduocato & litis Ordinatori. Proderit ergo Sapiens Sapienti: ſuadebit enim. Sed in illis quoque magnis, ac diuinis, vt diximus, communiter honeſta tractando, & animos cogitationeſque miſcendo, vtilis erit. Præterea ſecundum naturam eſt, & amicos complecti & amicorum actu, vt ſuo, proprioque lætari. Nam ſi hæc non fecerimus, ne Virtus quidem nobis permanebit quæ in exercendo ſe, vſu valet. Virtus autem ſuadet præſentia bene collocare, in futurum conſulere, deliberare, & intendere animum. Facilius intendet, explicabitque, qui aliquem ſibi aſſumpſerit.* Hæc ille.

Senec. ep. 109

Iam, ſi lubet, a porticu Zenonis, in porticum Salomonis tranſeamus. Dic ſodes, crediſne, Salomonem rectam Principibus imperandi rationem tradidiſſe? Credis, opinor; fuit enim ſummus ille Vir θεοδίδακτος. Atqui cum ex prudenti Principe, qui

Digitized by Google

qui bonos Conſultores habeat, populi ſalutem pendere, hoc Oraculo, is docuit: Prouer c. 11. *Vbi non eſt Gubernator, populus corruet: Salus autem vbi multa conſilia;* nonne prudentiam imperantis alieno conſilio iuuandam eſſe, declarauit? Et quidem. Enimuero quemadmodum Gubernator, tametſi recte clauum tractare nouit, vectores tamen ſeruare potis non eſt (videtur Salomon dicere) niſi bonus Proreta ipſi adſit, qui & ventos obſeruet, & S. Greg Naz. epiſt. 127. ſcopulos præmonſtret, & ſit τῆς νηὸς οἷον τις ὀφθαλμὸς *nauis velut oculus quidam*; ſic profecto fruſtra eſt Princeps, prudentiſſimus licet, qui ſine ope probi, fidique Conſiliarij (quem certe quidem Reipub. Oculum appellare non dubito,) populum incolumem ſeruari poſſe ſperet. Neque vero eſt, cur dicas, Prouerbiorum librum, vnde iſtud effatum deſumptum eſt, rudibus, & imperitis, non etiam Sapientibus ſcriptum fuiſſe: apertiora enim ſunt hæc Prouer. c. 1. verba, quam vt a quoquam torqueri valeant: *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*; hoc eſt, Vir ſapiens ex his parabolis diſcet conſilia, quibus cum ſuas, tum alienas actiones perinde moderetur, atque Nauclerus gubernaculo nauim.

Quid igitur eſt reliquum, niſi, vt non alio te magiſtro vſum eſſe fatearis, quam Vulpe? Nempe hæc beſtia olim, vt fabulantur, familiam amplam habuit, & locupletem, atque, vt erat multo vſu callida, dexteram ſuam aurem PRVDENTIAM vocitabat, ſiniſtram vero MEMORIAM. Si catuli quippiam ad rem familiarem pertinens, inſuſurrarent ſiniſtræ, ſæpe ijs obſecundabat, ac nonnunquam non ſine aliquo diſpendiolo; Sin dexteræ, vix

vnquam

Digitized by Google

vnquam eiſdem auſcultabat, etiamſi minorem prædam, ſpreto filiorum conſilio, domum eſſet reportatura. Præclaram vero & principe Viro dignam Magiſtram Vulpem!

Fateorequidem,eum, qui ipſe conſulat quod in rem ſit *πανάριστον, per omnia* ſcilicet *optimum*, recte dici. Verumenimuero, quoniam *corpus animam conſepto ſuo* (verba Tertulliani) *obſtruit, & obſcurat, & concretione carnis infæcat, vnde illi, velut per corneum ſpecular obſoletior lux rerum eſt*; næ is hominem eſſe ſe obliuiſcitur, qui, ſiue ingenij felicitate, ſiue doctrinarum præſidio, ſiue vſu rerum fretus, alienum conſilium reſpuit. Tertull. lib. de Anima c. 53.

Humanæ naturæ imbecillitati, ſi negociorum, quibus is, qui populos regit, diſtringitur, multitudinem addiderimus, haud equidem dubito quin Zenonis illius Citrienſis ſententiam probaturi ſimus, qui *τὴν δὲ πειθαρχίαν τῆς ἀγχινοίας ἀρετὴν εἶναι βασιλικωτέραν*, *parendi ſtudium, ipſa ingenij ſolertia virtutem magis regiam eſſe*, affirmauerat, & verſuum iſtorum Heſiodi ordinem ſic interuerterat, v. Themiſt. Orat. 17.

> Κεῖνος μὲν πανάριστος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
> Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.
> *Optimus ille quidem, qui paret recta monenti.*
> *Rurſus at ille bonus, qui per ſe ſe omnia nouit.*

οὐ γὰρ οἷόν τέ τινα ἕνα ὄντα τὸν βασιλέα, κἂν σφόδρα ὑπάρχῃ θεοειδὴς (audi Themiſtium) τοσαύταις ἐπιστατοῦντα φροντίσιν, ἐν ἁπάσαις τὸ δέον ἐξευρεῖν, *non enim fieri poteſt, vt vnus Rex, etiamſi maxime diuinus exiſtat, tot curis præfectus, in omnibus id, quod expediat inueniat.*

Recte enimuero, quippe εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ *vnus Vir non omnia videt*. Itaque, vt ſummatim dicam,

qui omnia ſe videre putans, neminem vnquam conſulere vult, is mihi nihilo minus inſanire videtur, quam qui nocte illuni, & flante Aquilone, per abrupta, & confragoſa iter habens, ſua vnius facula, quanquam tenuiſſima contentus, alium neminem velit ſibi prælucere. Memini quemdam, eo inſaniæ veniſſe, vt eſſe ſibi menſam opipare in ſtomacho ſemper inſtructam crederet. Quoties miſer a ſuis, vel ad prandium, vel ad cænam vocabatur, ſaturum ſe, ac bene potum, indignabundus reſpondebat, mirabaturque, quod homini macellum ſecum geſtanti, aduentitias epulas apponerent. Ecquid intelligis, quam huic inſano ille ſit ſimilis, qui ad lautam illam cænam, in quam quiſque Conſiliariorum ſuam Virtutis, & prudentiæ ſymbolam confert, clarorum Virorum exemplis, inuitatus, quicquid tamen alienum eſt faſtidiens, inedia ſua, miſerandum in modum, oblectatur?

v. Ariſt. Polit. lib. 3. cap. 7. & cap. 11.

SAPIENTES PRINCIPES ALIENO CONSILIO SESE IVVARI PROFESSI SVNT.

CAP. XLII.

Plane ſapientiſſimi quique Principes, non neſcij, vel maxima ingenia, quippe humana, mole rerum obtundi, obruique, ſi ſola velint ſapere; alienam ſibi ſapientiam, tanquam cotem ſuæ adſci-

adſciſcere, laboreſque ſociare conſueuerunt.

Conſiliarij Principum, Comites dicti.

Mitto Auguſtum, qui Arrium, & Thraſylum quoquoverſum ſecum ducebat ἵνα πρὸς τὰ ἔργα τῆς ἀρετῆς, *vt ad virtutis opera* ab illis incitaretur. Mitto Antoninum, in quo M. Antoninus Philoſophus eius filius ait, ſe obſeruaſſe τὸ ἀκουστικὸν τῶν ἐχόντων τι κοινωφελὲς εἰσφέρειν, *quod libenter audiret eos, qui aliquid Reip. vtile poſſent afferre*. Mitto Theodoſium, & Valentinianum, qui tantum Procerum Palatij, & Senatus auctoritati tribuerunt, vt ea ſuas leges primum firmari, poſt promulgari voluerint, aureaque hæc verba ſcripta reliquerint: *Bene enim cognoſcimus quod cum veſtro conſilio fuit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri imperij, & ad noſtram gloriam redundare*. Mitto alios innumeros profana hiſtoria celebres. *Moyſes ille* (ait Pater noſter Ambroſius) *quo nemo præſentius Deum vidit, neque ſurrexit amplius in Iſrael Propheta, qui Deum a facie, ad faciem, ſicut Moyſes videret, ille qui quadraginta diebus cum Deo iugiter, ac noctibus fuit cum legem acciperet in monte; ille, inquam, cui Deus dabat, quos loqueretur ſermones, inuenitur magis Aaron fratris conſilium, quam ſuum probaſſe*.

l. Diem functo C. de Off. Aſſeſſor.
v. Themiſt. Orat. 17.
M Aur. de Vita ſua lib. 1.
l. Humanum 8 C. de Legi. &c.
S. Ambr. ep. 5. ad Simplicia.

Ecquis, amabo, poſt homines natos, fuit vnquam Salomone ſapientior? ecquis in proſpiciendo ſagacior? Atqui Seniorum conſilio eum vſum fuiſſe, ex his verbis intelligimus *Inijt conſilium Rex Roboam cum Senioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre eius cum adhuc viueret*. Quorſum enim Salomon aſſiſtere ſibi voluit Seniores illos, niſi, vt cum eis, pro re nata, conſultaret? Nempe, Vir magnus, tametſi diuinum hoc oraculum me-

3 Reg. c. 12.
v. Alphon. Toſtat. in hunc lo. cum q. 4 & Rab. Leu. in Comm.

3.Reg. cap.4. moria retinebat. *Ecce feci ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*, ſe tamen hominem etiam eſſe meminerat, idque ſtudebat, vt quando cuiuſque rei cognitioni par natura non eſt, amicorum oculis cerneret, auribusque audiret, τὴν δύναμιν ἑαυτοῦ πολυπλασιάζων. Syneſ. Orat. de Regno. *vim ſuam* (vt vna cum Syneſio ita loquar) *multiplicans*. Quam de ſe moderate loquatur, & quam egregium ſapientiæ ſuæ ſpecimen det, accipe. Eccle. cap.7. *Cuncta tentaui in Sapientia. Dixi ſapiens efficiar & ipſa longius receſſit a me multo magis, quam erat. Et alta profunditas, quis inueniet eam?*

Omnino ita ſentiunt de ſe Viri ſapientes, ita loquuntur. Tunc ſe maxime indigere profitentur, cum abundant maxime. Indigas porro haſce Sapientum diuitias lepide mihi adumbraſſe videtur Agathon in conuiuio Platonis, eleganti ea fabella de PENIA, ſeu PAVPERTATE, hoc eſt, vt ego quidem puto, Viri ſapientis mente, qui amore PORI, qui fuit CONSILII FILIVS, & AFFLVENTIAE DEVS exarſit, & cum eodem nectaris ebrio, in hortis Iouis concubuit. Nam re vera, qui alieno vtuntur conſilio, bonis omnibus affluunt. Sed & illud ſcitum, ex eo concubitu CAELESTEM AMOREM genitum. Enimuero incredibile eſt, quam vehementer eos Numen amet, qui alieni conſilij opibus locupletati, Remp. iuuant. Vis exemplum? Non longe abibis. Moſe, qui certe quidem, publicæ ſalutis gratia, magis Aaronis conſilium probaſſe legitur, quam ſuum, Deum familiariſſime vſum fuiſſe, modo ex B. Ambroſio dictum eſt. Hic ipſe Salomon,

mon, qui, gnarus Sapientiam in profundo maximarum difficultatum latere, Seniores, quibuſcum ea, quæ ad publicam vtilitatem pertinebant, ſubinde communicaret, ſibi adſiſtere voluit, AMABILIS DOMINO *dictus eſt, eo quod diligeret eum Dominus*. 1.Reg.c. 1r.

Ex his, quæ dicta ſunt quisque intelligit, quam Principi, recte ſuos populos regere cupienti, alienum conſilium neceſſarium ſit. Sed, & intelligit, eidem in eo magnopere elaborandum, vt Adſeſſores virtute ſolida conſpicuos (tales enim erant ij, quos adſidere ſibi voluit Dauid) conquirat, legatque.

QVAERITVR AN BONO PRINCIPI HOMINIS DOCTI, SOLERTIS, ET FIDI, SED CETERA PRAVI CONSILIO VTI LICEAT.

CAP. XLIII.

QVid ergo? Virum doctum, prudentem, ac fidum, ſed auarum, libidinoſum, minimeque pium erga Deum, non in partem curarum vocabo? Non mihi adſidere iubebo? Non eius conſilio me committam? Atqui Principi, qui Viris magno ingenio, magnaque doctrina prædítis vti velit, complura eorumdem vitia diſſimulanda ſunt. Philiſtus Hiſtoricus, vt ait Cicero,

capi-

Cic. ep. ad Q. Fra. v. Corn. Nep. in Vita Dionyſ.

capitalis, ingenioſus, creber, acutus, breuis, pane puſillus Thucidides fuit. Ecquisnam bonis litteris adeo ſit iniquus, vt Dionyſium iuniorem Siciliæ Regem, talis Viri, praui quidem, ſed acuti, doctique conſilio vti vetet? Inſignis ille Tribonianus, cui niſi nos plurimum debere fateamur, ingratiſſimi ſimus, quam bene meritus eſt de humana ſocietate? Quam feliciter ſui Principis famam propagauit? Inceſſerat Iuſtiniani Imperatoris animum cupido, Iuriſprudentiam, nimia voluminum copia exundantem, paucorum librorum, vno quaſi alueo coercendi; ſed & eiuſdem facultatis Inſtitutiones Iuuenibus dandi, quibus imbuti, mox ipſas leges tentarent, natarentque, vt aiunt, ſine cortice. Annon præclarum iſtud votum prorſus fuiſſet inane, niſi Tribonianus adfuiſſet tantæ rei par? Quidni igitur Iuſtinianus præſtantiſſimo Iuriſconſulto, auaro licet, impioque ſemet regendum traderet? Hæc tu.

DAMNA INGENTIA AB HOMINIBVS SOLERTIBVS, DOCTIS AC PRAVIS PROFECTA SVNT.

CAP. XLIV.

ITane vero prudentem, ac fidum tibi eum eſſe credis, quem auaritia, libido, impietaſque, hoc eſt peſtilentes lacunæ, innumerabilium ſcelerum, ſeditionum, perfidiæque nebulas exhalare aſſuetæ

aſſuetæ commaculant? Apparet plane, te, quid inter Virum prudentem, & ſolertem, verſutumque interſit, neſcire; perſpicuum eſt enim ὅτι ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι (inquit Ariſtoteles) μὴ ὄντα ἀγαθόν. *fieri non poſſe, vt quisquam ſit prudens, quin idem ſit Vir bonus.* διαστρέφει γὰρ ἡ μοχθηρία, καὶ διαψεύδεσθαι ποιεῖ περὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχάς, *peruertit enim iudicium prauitas, efficitque, vt de principijs actionum falſum iudicemus.* Ita prorſus res habet. Peruertit, deprauatque iudicium prauitas. Cum enim conſilium, quippe quod ex earum rerum genere ſit, quæ referuntur ad aliud, communiſque Iuſtitiæ nomine cenſentur; eius, cui datur, vtilitatem reſpiciat; nihilominus tamen prauus Conſiliarius, ab honeſto diſcedens, Iuſtitiamque deſerens, ad ſuum vnius commodum quæcunque ſuadet, verſute dirigit. Sed nec eiuſdem Philoſophi hoc problema obſeruaſſe videris διὰ τί ἄνθρωπος μάλιστα παιδείας μετέχων ζώων ἁπάντων ἀδικώτατόν ἐστιν; ἢ ὅτι πλείστου λογισμοῦ κεκοινώνηκε; μάλιστα οὖν τὰς ἡδονὰς, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἐξήτακε, ταῦτα δ' ἄνευ ἀδικίας οὐκ ἔστι. *Cur homo, qui ſit maxime eruditus, animalium omnium iniuſtiſſimus eſt? An quia ratione plurimum valet? Magnopere igitur voluptates, & felicitatem rimatur; hæc autem ſine iniuſtitia nemo conſequi poteſt.*

Ariſtot. Eth. lib. 6. cap 12.

Ariſt. Proble. ſect. 19.

v. Eundem lib. Eth 7. c. 6. & Polit. lib. 1. c. 2

Sane ingenium, litterarumque ſtudium cum a Sapientibus inter ea numerari ſoleant, quæ ἀδιάφορα, ſiue indifferentia, ſiue media dicuntur, qualia ſunt forma, diuitiæ, vires, gladius; mihi dubium non eſt, quin Conſiliarij valde perſpicaces, docti, praui que, inſtar furioſi, gladio ad alienam perniciem abutentis, habendi ſint; eiſq; proinde homines indo-

v. Plat. lib 7. de Rep. & Dial 3 de Legib.

ćto;

Thucid. Hiſt. lib. 3.

Scholiaſtes Thuci. τὴν γνώμην. τὴν πολυμαθίαν λέξει γνώμην dicit multarum rerũ notitiam.

ctos, ſed modeſtos anteferre debeamus. Facit, vt ita ſentiam Cleo, cuius verba apud Thucididem hęc ſunt. Ἀμαθία τε μετὰ σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας, οἵ τε φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις, οἱ μὲν γὰρ τῶν τε νόμων σοφώτεροι βούλονται φαίνεσθαι, τῶν τε ἀεὶ λεγομένων ἐς τὸ κοινὸν περιγίγνεσθαι ὡς ἐν ἄλλοις μείζοσιν οὐκ ἂν δηλώσαντες τὴν γνώμην· καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου τὰ πολλὰ σφάλλουσι τὰς πόλεις. οἱ δὲ ἀπιστοῦντες τῇ ἐξ αὑτῶν ξυνέσει ἀμαθέστεροι μὲν τῶν νόμων ἀξιοῦσιν εἶναι ἀδυνατώτεροι δὲ τοῦ καλῶς εἰπόντος μέμψασθαι λόγον. κριταὶ δὲ ὄντες ἀπὸ τοῦ ἴσου μᾶλλον ἢ ἀγωνισταὶ, ὀρθοῦνται τὰ πλείω. *Imperitia cum modeſtia coniuncta, vtilior eſt, quam peritia cum immodeſtia, & imperitiores homines ſi cum peritioribus conferantur, reſpublicas plerumque melius adminiſtrant. Nam iſti quidem, & legibus ſapientiores videri, & in publicis conſultationibus ſententiam ſemper obtinere volunt, quaſi in alijs maioribus rebus ingenij ſui vim oſtentare non poſſint, ac propterea plerumque ciuitates euertunt. Illi vero, quia ſuæ peritiæ diffidunt, ſe legibus imperitiores eſſe, & ſentẽtiam eius, qui recte dixit, a ſe vituperari non poſſe cenſent. Itaque cum ſint æqui rerum æſtimatores, potius quam concertatores, recte vt plurimum reſpublicas regunt.*

Porro incredibile dictu eſt, quantam Ciuitatibus perniciem homines docti, prauique attulerint, ſiue dum, vt ait Cleo, anteire legibus, & optimis quibuſque Viris prudentia, videri voluerunt, ſiue dum ingeniorum acumine, verborumque præſtigijs freti, vel ſua flagitia cœlari ab ſe, vel accuſatores eludi facile poſſe putarunt. Cogita ſerpentes illos ignitos, quibus ingens Hebræorum ſtrages edita fuit

fuit in ſolitudine. Cogita locuſtarum, agros, vineaſque populantium examina. Cogita Vrſos, Panthæras, Leones, qui ad hominum interitum olim in caueis alebantur. Longe plura mala ab homine improbo, ingenioſo, doctoque, animalium nempe omnium deterrimo (χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα: *nam iniuſtitia armis inſtructa, grauiſſima eſt*) exſtiterunt, atque exiſtunt in dies. Quin tu igitur hæc tecum reputas? v. Ariſt. Polit. lib. 1. cap 2.

Nimis ego illum hominem metuo, & formido male, Plaut. Pſeud.
Ne malus item erga me ſit, vt erga illum (inimicum ſcilicet meum) *fuit.*
Ne in re ſecunda nunc mihi obuertat cornua
Si occaſionem capſit, qui ſiet malus.

HOMO INGENIOSVS, DOCTVS, RERVMQVE PERITVS, SED IMPROBVS, LICET IMPERIO VTILIS ESSET, VITANDVS TAMEN EST, VTPOTE MORIBVS PRINCIPVM PESTILENTISSIMVS.

CAP. XLV.

SEd, vt nihil ab eiuſmodi Adſeſſoris vitijs importetur in res tuas damni: Quid? Vt ſolertia eius, fideque mirifice iuuentur imperij tui iura.

Ego certe improborum, etſi ad terrena maxime vtilium ſocietatem nunquam probabo. Etenim cum tanta ſit humanæ naturæ, ex Parentum noſtrorum culpa, in malum procliuitas, vt Virtutis, quippe prima fronte horridiuſculæ, complexus refugiamus, contra Vitij blandientis illecebra facillime capiamur; iniquiſſimus profecto ſim, ſi laſciuientibus affectibus non ſubtraham ſegetem, ſed ſubminiſtrem.

Licet itaque iſte, quem ingentibus vitijs coopertum noſti, ingenio, doctrina, & rerum vſu ad miraculum valeat; licet adeo ſit ad perſpiciendum acutus, vt eum dexterum imperij tui oculum eſſe iudices; licet ad ea, quæ tibi cordi ſunt exequenda ita ſit promptus, vt eum dexteram manum tuam voces, nihilominus tamen hoc tibi a Chriſto Domino dictum puta: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te*: & *ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam & proijce abs te*. Quo impietatis peruenerit Iulianus Auguſtus, *κακοῖς συμβούλοις* (vt ait S. Gregorius Nazianzenus) *κακοῖς ἀρχῆς χρώμενος*: *malis mali imperij Conſiliarijs vtens*; & ex veteribus Eccleſiæ Hiſtoricis, & ex hoc ipſo S. Gregorio notum eſt. Eo nimirum peruenit miſer; Libanij Sophiſtæ, & Maximi Philoſophi (quem ob artes magicas a Valentiniano Imperatore capite damnatum legimus) conſuetudine vſus, vt a Chriſto defecerit, & *διδάσκαλος τῆς ἀσεβείας* *magiſter impietatis* iure merito dictus fuerit. Diſpeream, niſi fœdam, & pudendam ſexcentorum vitiorum ſcabiem amicus iſte tuus, tibi affricabit, eoque quod peius eſt, te perducet impudentiæ (ſi eius lateri pergas adhærere) vt iſtam tan-

Matth cap. 5.

S. Greg. Naz. orat. 3. in Iulianum.

S. Greg. Naz. Ibidem.

tantam fœditatem pro ſingulari vitæ tuæ ornamento ſis habiturus. Referam, quod egomet, hiſce auribus, aliquando audiui. Quidam, cuius famæ parco (ita enim nemo iure mihi iraſcetur, *nam quando ſine nomine contra vitia ſcribitur, qui iraſcitur accuſator ſui eſt*) ab domeſtico prauo iuxta, & erudito corruptus, dicere non erubuit; pluſculum prauitatis magni eſſe ingenij, atque adeo imperio digni, argumentum. Hic ipſe rurſus ad Salutatorum gregem, quo ſtipabatur conuerſus: Nos omnes, inquit, o amici, fungi ſumus. Mox cari eiuſdem corruptoris dextera prahenſa: Hic autem eſt oleum, ſal, piper, mali arancij ſuccus, quo condimur; nam quicquid demum ſciti ſaporis nobis ineſt, id ab huius eximia doctrina, & mira ingenij ſuauitate, dexteritateque (hoc nomen ſolerti hominis nequitiæ indiderat) exiſtit. Prægrandi huic fungo hæc locuto, ceteri illi fungi (quis riſum teneat?) pro Aulæ more, certatim applauſerunt. Huc ſcilicet ruitur, ex iſtorum, qui oculi, dextera, neruique putantur imperiorum, conſuetudine.

S.Hieron. contra Ruff. c. 3.

N 2 PRIN-

PRINCEPS QVI SAPIT VALDE TIMET NE AB ADSESSORE PERSPICACI, DOCTO, PRAVOQVE CORRVMPATVR.

CAP. XLVI.

HAud me quidem fugit, eſſe nonnullos, qui tantam ſe mentis firmitatem habere iactant, vt per lubricum vitioſæ ſocietatis euntes, labi non timeant. At (mihi crede) furoris indicium eſt, lubricum, atque abruptum non timere. Xenophon cum dixiſſet, bonorum conſuetudinem virtutis exercitationem eſſe, malorum autem, eiuſdem exitium, hoc teſtimonio Poetæ, (quo profecto nihil præclarius, nihil verius) dictum ſuum confirmauit

Xengph. lib. 1. Memorab. Socratis.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
Tradent nempe boni bona, ſed ſi vixeris inter
Prauos, amittes, quod tibi mentis adeſt.

Grauiſſimum Philoſophum, optimumque Poetam, ſi ſapis, audi, ac vel Dionyſij, qui, iſtius Philiſti, hominis enimuero *non magis Tyranno amici, quam Tyrannidi, conſilio corruptus, aliquanto crudelior eſſe cœpit*; vel Iuſtiniani Imperatoris, quem iſte ipſe tuus Tribonianus (ſi vera ſint, quæ narrantur) tanquam morionem aliquem traduxit, exemplis cautior factus, offendicula ca-

Corn. Nep. in Vita Dionyſ.

v. Hiſtor. Procopij arcanam.

ueto. Mirabantur Viri docti, quid eſſet, quod hic Imperator leges quaſdam identidem fixerit, ac refixerit, quod aurum ardentiſſime ſitierit, magiſtratuſque vendiderit. Mirabantur item, quod in eam amentiam prolapſus fuerit, vt ſe nunquam moriturum, ſed cum carne (monſtri ſimile) in cælum euolaturum crediderit. Verum vbi animaduerterunt, eum, egregij iſtius Triboniani, (qui auaritiæ ita indulſit, vt ius vænale habuerit, tantæque fuit impietatis, vt omnem religionem, præſertim vero Chriſtianam contempſerit) aſſentationibus huc illuc trahi ſolitum fuiſſe, mirari tandem deſiere. Addam & Principis memoria noſtra minime obſcuri, exemplum. Nomen eius, (ne veteris comœdiæ licentiam excitare videar) lubens reticeo. Hic ſane cum Adſeſſorem ſuum Alcibiadi (in quo nimirum magnæ virtutes, magna item vitia fuiſſe leguntur) perſimilem haberet, eumque proinde mirifice ſuſpiceret, tanta erat tamen confidentia, vt Viro docto, ac modeſto, locum illum Baſilij Magni aliquando recitanti, in quo prauorum hominum ſermones cum veneno melle permixto confert; ſubridens dixerit, *eſſe ſe e Pſyllorum gente, proptereaque venenum non timere*. Hæccine ſani hominis vox? Magna profecto vis eſt ſolertis, prauique ingenij; quandoquidem qui ab eo corrumpuntur ita inſaniunt, vt, more phreneticorum, in periculo grauiſſimo rideant, iocentur, laſciuiant. Apageſis tale ingenium, immo portentum. Procul Sphinx iſta, eo vel nomine, perniciosiſſima, quod virgineam præſeferens faciem, humanaque vtens voce, in fœdiſſimum draconem deſinit. Faceſſat ab ędibus Abrahami Agar illa Aegyptia, fœcunditate ſua tumens, he-

Etſi Hub. Giſanius in Orat. de Imp. Flau. Iuſtin. contendit Tribonianum Chriſtianum fuiſſe; malo tamen credere Suidæ & Heſychio, quam illi.

v. A. Alcia. Diſpun. lib. 4 c. 7.

S. Baſil. ὁμιλ. πρὸς τοὺς νέους.

v. Philo Iud. lib. de Congreſ.

quærend. erudit gra. & lib. de Cherub. v. etiam Clem. Alexan. lib. 1. Stro.

heramque petulanter deſpiciens vna cum Iſmaele Iſaaci perſecutore, diuinarumque gratiarum deriſore; faceſſant, inquam, improbi iſti, ſolertes, ac docti ab optimi Principis imperio (is enim, re vera, non autem vocabulo tenus, Pater eſt multarum gentium) quippe qui Virtutem deſpiciant, eiuſque ſacroſanctos partus, perditis ſuis moribus, oppugnent. Enimuero non eſt tanti humana doctrina atque induſtria, non eſt tanti, vt eius gratia, homines praui a bono Principe diligi, atque in conſilium adhiberi debeant.

RATIO QVA SIMVLATAE, VERAEQVE VIRTVTIS CONSILIARII DIIVDICARI VALEANT.

CAP. XLVII.

Xenoph. lib. 8. de Inſtit. Cyri.

MAneat itaque, eos tantummodo Adſeſſores tibi legendos, ac fouendos eſſe, quos recti, bonique Præceptores, morum Lumina, boni ſæculi Inſtrumenta, & συμφύλακας τῆς εὐδαιμονίας, *Socios & Conſeruatores felicitatis* iure appelles. Sed enim, quia non defuerunt, qui, vt Principes fallerent; Prudentiam, Fidemque, adducto ſupercilio, tardo inceſſu, vultu tætrico, verborum ampullis, ementirentur, fictiſque blanditijs odium, ceu Lupum ouina pelle tegerent; ideo vide, vt ſtudia, moreſque

illo-

illorum, qui tibi conſilium dant, diligenter obſerues. Namque oraculum Veritatis eſt. ***A fructibus eorum cognoſcetis eos.*** Naſci poma quædam in Sodomis, quæ, tametſi in ſpeciem adoleſcunt, ſi tamen tangantur, fumum exhalant, ac velut in cinerem vaneſcunt, Hiſtorici perhibent. Pomis iſtis falſos Conſiliarios, haud inepte, opinor, comparaueris. Prodent hi, haud dubie, prodent latentem imprudentiæ ſuæ, dolique fuliginem, euaneſcentque, ſi Theodoſium, ***cui ſolemne eſt in ſuis exercere cenſuram, morumque agere delectum, & ſingulos, vt nouos ſemper expendere, nec conſuetudini condonare iudicium***, imitatus, acri eos, ac ſeuera cenſura ſubinde tetigeris, preſſeriſque.

Corn. Tacit. Hiſt. lib. 5. Solin. c. 38 Ioſeph de Bello Iud. lib. 5. v. Tertull. Apol. cap. 40. S Aug. de Ciu. Dei lib. 21 c 8.

Symmach. ep. 81. lib. 3.

NONNVLLI PRINCIPES BONIS CONSILIARIIS BENE VTI NESCIVNT.

CAP. XLVIII.

PORRO autem, quemadmodum ille diues non eſt, qui bonos nummos ab adulterinis ſecernit, ſed qui bonos in bonum vſum vertit; ſic profecto Princeps ille felix dicendus non eſt, qui veram, fictamque virtutem diiudicat; ſed qui exploratæ Virtutis Conſiliarijs vtitur bene.

Sunt nonnulli, qui ſententiæ ſuæ, quanquam ineptiſſimæ adeo tenaces ſunt, vt præ illa, optima quaque conſilia eleuent, contemnantque; Scin, quomodo hi ſui Senatus probitate, ac ſapientia vtantur?

Tam

Tam recte ſcilicet, quam recte aures, quibus innatus aer intus perſtrepit, ſonum externum accipiunt. Quis vero ita inſanit, vt felices illos prædicaturus ſit, qui ſententiæ ſuæ ſtridore magis capiuntur, quam ſuaui alienorum conſiliorum concentu?

Alios etiam inuenias, qui cum nihil ſibi Veritate iocundius fore iactent, graueque proinde ſupplicium eam cœlantibus interminentur; libertatem tamen ſerio incipientium loqui, truci vultu, accipiunt, nihilque ſibi, niſi quod aures titillet placere poſſe oſtendunt. Originem huius mali non aliam eſſe dixerim, niſi conſuetudinem blanda, & arridentia magis audiendi, quam vera. Nimirum, Senec. ep. 123. *quemadmodum* (ait Seneca) *qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem, ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi; ſic adulatorum, & praua laudantium ſermo diutius hæret, quam auditur, nec facile eſt* (cum de re graui conſultatur) *animo dulcem ſonum excutere. Proſequitur, & durat, & ex interuallo recurrit.* Sane qui Principes, a quibus Veritas torue aſpectatur, fugaturque, bene Senatu ſuo vti, ac propterea fortunatos eſſe dixerit; idem, puto, ægrotantes illos, & ſapientes, & fortunatos prædicabit, qui Medicos liberius aliquid monentes, ſpernunt, ac mori malunt, quam ſalutaria eorum monita æquo animo pati.

Sunt alij, qui de Rep. recte adminiſtranda Viros doctrina, probitateque præſtantes conſulunt quidem, eoſque libenter audiunt; verum, quoniam eorumdem conſilia continuo cum aſſentatoribus communicant, eo fit, vt non vtilia, honeſtaque, ſed læſura, prauaque ſuadentibus plerunque accedant.

Vidit

Vidit hoc S. Gregorius Magnus cum Venantium Cancellarium Italiæ ſic affatur. *Scio, quia cum epiſtola mea ſuſcipitur, protinus amici conueniunt, litterati clientes vocantur, & de cauſſa vitæ conſilium a fautoribus mortis quæritur, qui dum non te, ſed res tuas diligunt, nulla tibi, niſi quæ ad tempus placeant, loquuntur*. Eiuſmodi Principes, quidni, vel grauidis illis mulierculis, quæ præ ſtomachi malacia, bonos & ſuaues cibos, quibus abundant, faſtidientes, immitia poma, malicorium, terram, carbones extinctos appetunt; vel hominibus, qui furore correpti, tenebras luci, epulis inediam, ſuſpendium vitæ anteponunt, perſimiles eſſe dicam? quidni miſerrimos vocem? Tantam ſtultitiam, ac miſeriam in Dionyſio iuniore Siciliæ Tyranno, tanquam in ſpeculo cernere licet. Is namque fucata, improba, noxiaque Philiſti conſilia, ſinceris, probis, & ſalutaribus Platonis, (quem, rogatu Dionis, Athenis acciuerat) conſilijs anteferebat.

S. Greg. Mag. ep. 33. lib. 1.

v. Corn. Nep. in Vita Dionyſ.

Denique non exiguus eſt illorum numerus, qui, vulgi more, conſilia ex euentu metientes, eos, quorum ſententiæ Fortuna bene fauit, nouis honoribus augent; quorum vero dicta exitus minus probauit, eos, deſpiciunt, contumelijſque onerant. Hunc vulgi morem his verbis expreſſit Plautinus ille Pſeudolus:

Plaut. in Pſeud.

Hoc verum eſt, proinde vt quiſque fortuna vtitur
Ita præcellit, atque exinde ſapere eum omnes dicimus.
Bene vbi, quod diſcimus conſilium accidiſſe, hominem catum
Eum eſſe declaramus; ſtultum autem illum, cui vertit male.

O Iſtos

Iſtos ego Principes eodem plane loco habendos cenſeo, quo plebeios illos, qui Soli, quod fruges, vel ad maturitatem non perduxerit, vel certe perusserit, indignantur: hoc eſt inſulſiſſimos, ac infeliciſſimos eſſe aio. Quippe Deus, vt eſt arbiter temporum, non autem Sol, ſic & rerum euentum habet in poteſtate, non etiam Conſultor.

RATIO QVA PRINCIPES BONIS CONSILIARIIS BENE VTANTVR.

CAP. XLIX.

Ela itaque, o Princeps, qui Adſeſſores non illos quidem fuliginoſos, cuiuſmodi ſunt fructus in Sodomis naſcentes, ſed pomorum illorum, quæ arbor Vitæ in Paradiſo ferebat, ſimillimos (veris enim honeſtiſque talium Virorum conſilijs fit, vt Ciuitates, morbis, qui a tyrannide gigni ſolent, obnoxię nõ ſint, beateque viuant) nactus es; da operam, vt ijs bene vtare. Bene porro vteris, ſi eis nunquam in loquendo auctoritas deerit, nunquam tibi in audiendo modeſtia: ſi fortia eorum, liberaque dicta, licet interdum duriuſcula, exporrecta fronte, ſemper exceperis, eaque vtilitatis mox conſecuturæ meditatione mollíueris: ſi eorum ſalutaria conſilia cum illis, quos non tecum, ſed cum fortuna tua loqui ſentias, haud vnquam communicaueris: ſi demum,

Digitized by Google

mum, nec eos, quorum conſilia proſpere ceciderint, nouis honoribus amplificaueris, nec eos, quorum ſententiæ minime reſponderit euentus, vllo modo contempſeris. Ita enim, & illi, ſpe recentium honorum præciſa, decora, vtiliaque perpetuo ſuadebunt (cæca illa ſcilicet cupidine vacui, quæ iudicium peruertit, cogitque tranſcendere fines iuris); & hi, metu ignominiæ adempto, ea nunquam reticebunt, quæ nulli omnino fraudi, ac dedecori ſibi futura eſſe intellexerint. v. Thucid. lib. 3 in concion. Diodoti.

PRINCEPS VT BONORVM CONSILIO IVVETVR DEVM PROPITIVM HABERE STVDEAT.

CAP. L.

CEterum, quia nihil omnino tibi proderit probatæ virtutis Conſiliarios habere, eorumque opera ad Politicorum præſcriptum vti, ſi ſummus ille CONSILIARIVS, ille, inquam, æternus Dei Filius mentes eorum, vt tu, quaſi multo vino ebrius, præcepa ruas, obcæcauerit; ideo caue, ne diuinam iram vnquam laceſſas. Talis (dicam paucis) tu erga Chriſtum Dominum eſto, quales erga te miniſtros tuos eſſe vis. Tu non fucatam, ſed ſolidam prudentiam, fidemque in tuis expetis. Chriſtus in te non adumbratam impiorum Politicorum prudentiam, Iſai. c. 9.

 fidem-

fidemque, ſed expreſſam, & euangelicam. Hac ſi carueris, non magis equidem Conſiliarios tuos, quamuis, & ſapientes, & fidos tibi profuturos dico; quam Cario in Ariſtophanis Pluto, Apollinem hero ſuo dicit profuiſſe.

Ἰατρὸς ὢν καὶ μάντις, ὥς φασι σοφὸς
Μελαγχολῶντ' ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπότην.

Medicus cum ſit (Apollo) *& Vates, vt aiunt, ſapiens*
Inſanientem dimiſit herum meum.

Sane præpotenti Deo morem eſſe, Conſiliarijs eorum Principum, qui præponunt humana diuinis, tenebras, & ſtuporem, quemdam afferre, ex hoc
Iob. 12. loco Iobi diſce. Dominus *commutans labium Veracium, & doctrinam ſenum auferens. Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium: palpabunt, quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quaſi ebrios.* Ex Dauide itidem diſce, & Iſaia. *Effuſa eſt*
Pſal. 106. *contemptio* (inquit ille) *ſuper Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via*, hoc eſt: prauos Principes eo adducit Deus, vt, nemine rectum prudentiæ iter monſtrante, errabundi vagentur, ſicque
Iſa. 19. omnibus ludibrio ſint. Hic: *Stulti facti ſunt Principes Thaneos, emarcuerunt Principes Mempheos, deceperunt* Aegyptum, *angulum populorum eius. Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt* Aegyptum *in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens.* Nihil plane, nihil Adſeſſores fideles DAVIDICAM AVLAM iuuiſſent, niſi DAVID ipſe *perambulaſſet in innocentia cordis ſui, in medio domus ſuæ.* Nihil Gregorianam Aulam iuuiſſent *prudentiſſimi Conſiliarij*, ſi

minus

minus Gregorius ſanctitate magnus extitiſſet. Et de Conſiliarijs ſatis. Io. Diac. in vita S. Greg.

PRINCEPS VIDEAT VT QVAMOPTIMOS MAGISTRATVS ELIGAT. HOMINVM IMPROBITATE ATQVE AMBITIONE FIT, VT DIFFICILE SIT BONOS MAGISTRATVS INVENIRE.

CAP. LI.

QVæ de Conſiliarijs dicta ſunt, ea ipſa de ijs, quibus mandantur magiſtratus dici volo. Etenim cum ea ſit magiſtratus vis, vt iuri dicundo præſit; quis ab eo, qui ſit prauus, recte ius dici, & ea, quæ legibus conſentanea ſint, præſcribi putat? Vide igitur, vt eos conſtituas magiſtratus, qui tibi, Deoque quamfidiſſimi ſint; & qui honeſtatem, publicam ſalutem, legumque cuſtodiam pluris faciant, quam pecuniam, liberos, ipſamque vitam.

At pulcre quidem iſthæc dicuntur(ais) ſed vbinam gentium tales Viros inueniam? Quam rara eſt nunc hominum probitas! quam frequens ambitio! Nimirum bonam illam gloriæ frugem in hominum ani-

animis ideo ſatam, vt eius ope omnem turpitudinem, ciuilis quippe vitæ peſtem, propelleremus, & in melius proficeremus, plerique inſano terrenæ gloriolæ ſtudio ita corrumpunt, vt quid honeſtum ſit, nec intelligant ipſi, nec ab his, qui præſunt, intelligi velint. Videſis, in quas anguſtias cogor. Si præceps Magiſtratus elegero, remque totam Fortunæ tradidero; næ ego, quaſi ſi lolio victitem, caligabo, ac turpiter labar, meoque lapſu vniuerſam Rempub. præcipitem traham. Sin autem Tempori, optimorum ſcilicet conſiliorum parenti memet commiſero, quotuſquiſque iam erit competitorum, qui ſe a Principe ſuo excuti, & moræ ſuffragium opperiatur æquo animo? Quis non vno die, immo vna hora vellet fieri, vt ita dicam, de Rhetore Conſul? Quis non ſæculum noſtrum infelix vocat (ac ſi Deo placet) nouercale? Quis non inſtar Echini, qui matris partum morantis, viſcera pungit, laceratque, aculeatior in dies factus perfidiam ſuam acuit, mihique ſolitudinem minitatur? Num tibi vetus illud Lucilij Baſſi exemplum excidit, qui *poſt Præfecturam alæ Rauennati, ſimul, ac Miſenenſi claſſibus a Vitellio præpoſitus, quod non ſtatim Præfecturam Prætorij adeptus foret, iniquam iracundiam flagitioſa perfidia vlciſcebatur?* Eadem plane noſtrorum hominum ingenia. Pauci probitate certant. Vnum ad potentiam iter.

Corn. Tacit. lib. 2. Hiſt.

Sed, vt lente, quod aiunt, feſtinaſſe; vt impura inuidentium ora feliciter compreſſiſſe mihi videar; vt Aulæ totius plauſu electio comprobetur, num idcirco bene elegi? Pudet dicere, quam ſæpe mali pro bonis obrepant. Vtique Principes quantumuis acuti, & perſpicaces cum in verſipelles incidunt, nihilo

hilo

hilo ſecius retunduntur, quam nouaculæ acies in cotem incidens. Eſt quidem in re medica (Magiſtro Medicorum Iudice) *iudicium difficile*, at quanto illud eſt difficilius de moribus, quam de morbis? Sane Medicis non deſunt ſigna, per quæ, quaſi per veſtigia quædam abditas morborum cauſſas conſequantur, ſed qua tandem ratione iſtiuſmodi veteratorum, quibus probitatem ementiri mos eſt, latens in animis nequitia deprehendi poſſit, non video. *Prauum* quippe *cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Quanquam hoc me in iſtis humani cordis receſſibus, ac ſinibus nonnihil recreat, quod ea ire ſoleo, qua ducit veriſimilitudo. *Omne hac via procedit officium.* (Senecæ verbis vtar) *Sic ſerimus, ſic nauigamus, ſic militamus, ſic vxores ducimus, ſic liberos tollimus. Cum omnium horum incertus ſit euentus, ad ea accedimus, de quibus bene ſperandum eſſe credimus. Quis enim pollicetur ſerenti prouentum? nauiganti portum? militanti victoriam? marito pudicam vxorem? patri pios liberos? Sequimur qua ratio, non qua Veritas trahit. Expecta, vt non niſi bene ceſſura non facias, & niſi, comperta Veritate, nihil moueris, relicta omni actu vita conſiſtet.* Ierem. cap. 17.

EXAG-

EXAGGERATVR DIFFICVLTAS ELIGENDI BONOS MAGISTRATVS, PRINCEPS QVI EA IRE SOLET, QVA DVCIT VERISIMILITVDO SPES EST FORE, VT AMBITIOSOS REPELLAT.

CAP. LII.

VEra tu quidem, o Princeps, narras. Rempub. præcipitat, qui, Andabatarum more, honores diſpenſat inconſultus, & præceps. Dicam enim Io. Chryſ. lib. de Sacerd. Dial. 3. de reliquis magiſtratibus quod S. Ioannes Chryſoſtomus de Epiſcopatu. Nam cum quæreret Vir prudētiſſimus, vndenam tam multæ in Eccleſijs oriantur turbæ: ἐγὼ μὲν γὰρ (inquit) οὐδ᾽ ἀλλοθέν ποθεν οἶμαι, ἢ ἐκ τοῦ τὰς τῶν προεστώτων αἱρέσεις, καὶ ἐκλογὰς ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε γίνεσθαι. *Equidem non aliunde, opinor, quam ex Præſidum electionibus temere, caſuque factis*. Plane rara eſt hominum probitas, frequens ambitio, eademque, & moræ ſemper impatiens, & adeo ſæpe procax, vt eam illi meretrici Iſai. cap. 23. non inſcite compares, quæ apud Iſaiam, ſentiens limen ſuum deleri, circumit ſolito comptior Ciuitatem, & laſciuo obtutu, molli cantu, alijſque meretricijs illecebris, nihil non agit, vt amatores vndique pelliciat. Ita vero de moribus iudicare diffi-

difficile eſt, vt Viri, vel ſapientiſſimi, quippe non neſcij, bonis, cautis, ſagacibusque Principibus Nequitiam ſub perſona Probitatis latitantem, non raro impoſuiſſe, ab humano ingenio falli timuerint. Fuere nimirum, qui, Philoſophia neſcioqua τεχνικαῖς καὶ πολιτικαῖς, vt ait S. Gregorius Nazianzenus, accerſita, ideo latebras peterent, vt quærerentur, præſtantioribuſque honoribus digni haberentur. ὥσπερ οἱ τὰς ὥρας μικρὸν προφαίνοντες· εἶθ᾽ ἀποστέλλοντες, *quemadmodum qui eximias quaſdam formas paulum oſtenſas, ſtatim ex oculis ſubducunt.* Quotuſquiſque eſt (bone Deus) qui ab eiuſmodi monſtris fucum ſibi fieri non pertimeſcat? Certe ille ipſe Moſes, ille νομοθετῶν ἐπιφανέστατος *Legiſlatorum illuſtriſſimus*: ille θείων μυστηρίων ἐπόπτης τε καὶ μυσταγωγὸς *diuinorum myſteriorum ſpectator & præſul*, quamuis amicum haberet ſpectatæ diu Virtutis, planeque dignum, quem ſibi ſucceſſorem in principatu deligeret, ſibimet tamen credere non eſt auſus, remque integram in Deum reiecit. Quid? Apoſtolus Petrus, ille ἡ ἀρχὴ τῆς ὀρθοδοξίας. ὁ μέγας τῆς ἐκκλησίας ἱεροφάντης· ὁ ἀναγκαῖος σύμβουλος τῶν χριστιανῶν. τὸ κειμήλιον τῶν ἄνω δυνάμεων, *Orthodoxæ fidei Principium, magnus Eccleſiæ Sacerdos, neceſſarius Chriſtianorum Conſiliarius, ſupernarum Poteſtatum Theſaurus*, cum ad perficiendum duodecim Condiſcipulorum numerum vna cum decem Diſcipulis veniſſet, Deo electionem timide, religioſeque permiſit, cum dixit *Oſtende nobis, quem elegeris.* Vera, inquam, iſthæc omnia. Itaque Reipub. tuæ valde gratulor, quod ad ea accedis, de quibus bene ſperandum eſſe credis, & ad ſerentium, nauigantium, militantium, vxores ducentium, filios gignen-

S. Greg. Naz. Orat. 27.

S. Greg. Naz. Orat. 6.

a Phil. Iud. lib. de Carit. v. S. Dionyſ de Eccl. Hier. c. 9.

S. Io. Chryſ. in Encom. in Principes Apoſtolorum.

Act. c 1.

gnentium exemplum, magiſtratus legis. Enimuero prudens agricola non arenam, non terram auri, argentique fodinis diuitem, ſed humum fœcundam, beneque ſubactam ſerit. Qui nauigaturus eſt bonam nauim conſcendit. *Nauis bona dicitur, non quæ præcioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteum, aut aureum roſtrum eſt, nec cuius tutela ebore cælata eſt, neque fiſcis, ac opibus regijs, preſſa eſt, ſed ſtabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox, & conſentiens vento.* Qui in bellum proficiſcitur bono gladio accingitur. *Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur, ſed cui, & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus.* Qui vxorem ducit (modo habeat cor) eam non oculis, vt aiebat neſcio quis, non digitis, ſed auribus ducit; non eius ſcilicet forma, non cenſu potiſsimum capitur, ſed bona fama. Qui demum probos filios habere cupit, eos non ebrietati, non libidini, ceteriſque vitijs indulgere ſinit, ſed ita educat, vt Virtutem verum patrimonium ſuum eſſe intelligant.

Sene. ep. 76.

Senec. ibid.

Quidni igitur ſperemus, fore, vt tu, ſi quidem hos imitari vis, non ambitioſis, quorum nimirum importunitatem, audaciam, perfidiamque optime noſti, ac de quibus, quid boni ſperari vnquam poſſit, neſcio, ſed probis, induſtrijſque remp. ſemper ſis commiſſurus?

PRIN-

PRINCEPS *QVI AMBITIOSOS EXTOLLIT IN CAVSSA EST VT HONORES SORDESCANT, ET IPSE NON EFFVGIT MALEDICORVM QVORVMDAM SCOMMATA.*

CAP. LIII.

CEterum, quoniam vſus docuit, eſſe nonnullos Principes, qui, more amantium, quorum ſane rixis amor adeo non minuitur, vt magis, magiſque augeatur, iſtos forium ſuarum obſeſſores, ore pellunt, manu autem accerſunt, reque ipſa, complectuntur; da mihi, rogo, hanc veniam, vt cum huiuſmodi homine pauliſper loquar.

Scin, o quisquis tali ingenio es, vt nonniſi ambitioſos honoribus impartias, quo numero apud eos, qui aliquid ſapiunt (nam vulgum, peſſimum ſcilicet rerum interpretem, nihil moror) honores iſti eſſe ſoleant? Scis tu quidem, opinor, ſed verum te fateri ſuppudet. Nullo plane, nullo, inquam, numero ij honores eſſe poſſunt, qui ambitioſos perinde oſtendunt, atque ſtigmata ſeruos fugitiuos. Quod ſi tales honores nullo in precio ſunt; tu qui eos diſtribuis, dic, amabo te, qualem tandem famam tuam futuram putas? nam eius te ſtudio teneri, cur ego dubitem, qui ſciam, principes viros

hoc vnum inſatiabiliter parare ſolere, proſperam ſui memoriam? Minime malam, inquies. Quippe Viri probi, & modeſti, gnari, non eſſe priuati hominis æſtimare, quem ſupra ceteros, & quibus de cauſſis Princeps extollat; nihil turpius eſſe putant, quam vt aliquis e populo ſui Principis Cenſor fieri velit. Petulantiores vero, ſi nihil aliud, certe Græci cuiuſdam Poetæ vaticinium hoc

Eurip. v. Strab. περὶ τῆς λαλιᾶς.

Ἀχαλίνων ϛομάτων,
Ἀνόμου τ' ἀφροσύνης
Τὸ τέλος δυϛυχία
Infrenis oris
Ac illegitimæ immodeſtiæ
Finis eſt infortunium,

Iuliæque metus, a perículoſis ſalibus refrænabit. Audio. Eſt ita vt dicis. Viri probi imperantium famæ detrahere non audent. *Saulem Dauid ferire metuit* (ait B. Eucherius) *quia ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, Præpoſitorum vita nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt: qui, & ſi quando propter infirmitatem ſeſe vix abſtinere poſſunt, vt extrema quædam atque exteriora* Præpoſitorum *mala, ſed tamen humiliter loquantur, quaſi oram clamydis ſilenter incidunt, quia videlicet dum prælata dignitati ſaltem innoxie, & latenter derogant, quaſi Regis ſuperpoſiti veſtem fœdant; ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeque vehementiſſime, vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt. Vnde bene, & illic ſcriptum eſt: Poſt hæc Dauid percuſſit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram clamydis* Saul. *Facta quippe* Præpoſitorum, *oris gladio ferienda non ſunt, etiam cum reprehendenda recte indicantur.*

S. Eucherius lib. 1. in libros Regum.

Quid

Quid autem ſi Cynicus aliquis, exuta modeſtia, Poetæ vaticinio contempto, & abiecto Iuliæ metu, in medium prodeat, ac non iam tuæ clamydis oram clanculum incidat, ſed palam te præmordeat, maliſque illis aurigis auſit comparare, qui ſuos currus ab equis indomitis per auia, & abrupta raptari, ac præcipitati patiuntur? Quid ſi idem tibi eos, qui ſub humana forma faſtum, & furorem equinum celant exornanti, perinde oblatret, atque Caio Caligulæ, qui *Equo, nomine INCITATO, & equile* Sueton. in Caligu. *marmoreum, & monile e gemmis, & domum, & familiam, & ſupellectilem dediſſe; ad hæc, & Conſulatum quoque* (ſi Superis placet) *deſtinaſſe* legitur? Quid, obſecro, conſilij capies? Erunt (ſcio) qui tibi ſuadebunt, vt homini maledico, turbidoque linguam protinus excindi, & gulam frangi iubeas. Erunt contra, qui, Iulij Cæſaris, & Iuliani Suet. in Iul. exemplis propoſitis (ille *acerbe loquentibus ſatis habuit, pro concione, denunciare, ne perſeuerarent;* hic, Antiochenis, anapæſtis in ipſum ludentibus ὑμῖν ἐπιτρέπω, dixit, χρῆσθαι μετὰ μείζονος αὐτοῖς παῤῥησίας. ὡς οὐδὲν ὑμᾶς ἐγὼ διὰ τοῦτο πώποτε δεινὸν ἐργάσομαι Iulian. in Miſopog. σφάττων, ἢ τύπτων, ἢ δέων, ἢ ἀποκλείων, ἢ κολάζων. *Vobis liberiorem eius rei facultatem permitto. Nam nunquam vobis eo nomine periculum creabo, iugulando, verberando, conſtringendo, cuſtodiendo, puniendo*) moderatione animi te vti malint, propterea quod vſu veniat, vt lingua obtrectatoris exciſa, gulaque fracta, vocalior fiat. Sed enim, quia licet maledicus, ſiue intereat, ſiue petulantiam impune ferat, haud tamen idcirco Poſteritati lingua comprimitur; (quotus enim quiſque eſt, qui ab ea impetrare potuerit, vt quæ ipſa ſentiret non palam;

lam, conſtanterque loqueretur?) eo fit, vt ſeueritatem, animiue moderationem illam, vix quicquam proficere poſſe arbitrer. Eſto tamen. Aliquid interdum proficiant. Sane quemadmodum præſtat, vt victu frugali morbis occurramus, quam, vt ſpe medicinæ, quippe non raro fallaci, conuiuijs intempeſtiuis vires opprimamus; ſic profectò longe melius eſt, vt Princeps, ambitioſis repulſis, obtrectandi materiam tollat, quam, vt, eiſdem electis, ad incertam ſeueritatis, moderationiſque opem confugiat.

NON IDEO AMBITIOSI EXTOLLENDI SVNT QVIA EORVM ALIQVI POSTEAQVAM AD HONORES PERVENERE SERIO VIRTVTEM COLVERVNT.

CAP. LIV.

At qui factum aliquando meminimus, ais, vt qui per ambitum ad honores peruenerunt, eos integritas vitæ poſtea commendarit, eoque loco dignos effecerit.

Dicam quod ſentio, idque libere. Et equi natura intractabiles tantiſper certe quidem dum dormiunt, manſueti videntur. Ceterum quis neſcit, eo ſomno inſitæ ferociæ vires addi? Quid ſi ſpecie integritatis, quaſi quodam ſomno ſuas ambitioſi maio-

maioris potentiæ ſpes augeant? Sed, vt nihil ſubſit fuci, vt partos, per ambitum honores vera integritas conſequatur; quid tamen ſanctiſsimus Pontifex Leo cenſuerit, lege. *Principatus, quem ambitus occupauit, etiamſi moribus, atque actibus non offendit, ipſo tamen initij ſui eſt pernicioſus exemplo. Et difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.* Audin? Sane qui principatum ambitu occupauit, quam humanæ ſocietati pernicioſus ſit, exemplo ſuo, vel ex eo cognoſce, quod illorum, quos ad remp. ſua virtus vocarat, fractis animis; inepti fere, potentiorum gratia ſubnixi, auroque ſuffulti, ad gubernaculum accedant. S. Leo ep. 87. 1. q. c. Principatus.

Quæ olim Aeſchines Orator græcus ad Athenienſes, quibus ea, quæ vni Virtuti deberentur, dare Ambitioni mos erat, de donis, coronis, ceteriſque eiuſmodi premijs verba faciens, dixit: ea nunc tibi ab optimo quoque, tui, ac publici boni cupidiſsimo, de honoribus, ac magiſtratibus dici exiſtima. Aeſchin.
ὑπολάβετε τοίνυν ὑμᾶς αὐτοὺς εἶναι ἀγωνοθέτας πολιτικῆς ἀρετῆς καὶ κεῖνο ἐκλογίσασθε, ὅτι ἐὰν μὲν τὰς δωρεὰς ὀλίγοις καὶ ἀξίοις καὶ κατὰ τοὺς νόμους διδῶτε, πολλοὺς ἀγωνιστὰς ἕξετε τῆς ἀρετῆς. ἐὰν δὲ τῷ βουλομένῳ καὶ τοῖς διαπραξαμένοις χαρίζησθε καὶ τὰς ἐπιεικεῖς φύσεις διαφθερεῖτε. *Fingite igitur a vobis ipſis ciuilis virtutis premia eſſe conſtituta, voſque huius certaminis ſedere Iudices; illudque ſimul cogitate, ſi premia paucis, digniſque, & ex præſcripto legum tribuatis, fore, vt multi in certamen virtutis deſcendant: ſin autem ei, qui velit, & iis qui paciſcantur, gratificemini, bona etiam ingenia corrumpantur.* Atque hæc quidem Aeſchines, prudenter (ita me Deus amet) ac vere. Porro,

ſi

ſi magiſtratuum nundinatione, quæ quidem eſt πάν-
Nou.8. των ἀφορμὴ τῶν κακῶν, πάσης πονηρίας προοίμιόν τε,
v. Ariſt. Polit. lib.2. cap. 9. καὶ πέρας, *Occaſio malorum omnium, totiuſque nequitiæ principium, ac terminus*, vincente; viros virtute præcellentes, ambitioſi arceant a ſtadio; ſi bona etiam ingenia, per quæ nimirum ſuum imperia conſeruant decus, ac robur, corrumpantur, annon.

Interim mores mali, quaſi herba irrigua,
vt cum Plautino illo ita loquar,
Plaut. Trin. *Succreſcet vberrime,*
vixque vllus bonæ ſpei relinquetur locus?

AMBITIOSORVM AB AVLA DISCESSVM PRINCEPS NE MOLESTE FERAT.

CAP. LV.

AT ſi ambitioſos repulero, ſolitudinem timeo. At fores noſtræ dulcem illam Salutatorum, Deductorumque vndam haud propediem habituræ ſunt, quam exorbeant, vomantque.

Haud habituræ ſunt ſcilicet. Citius canes lanienam, & lurcones popinam deſerent, quam Aulam ambitioſi. Fuſte licet abigantur, mox tamen, mutata perſona, redibunt. Sed fac deſerant. Quid id refert tua? Lucrum eſt, quod tu damnum putas. Etenim non minus tibi conducibile eſt, vt homines, qui dum per anguſtum ambitionis iter luctantur, obſtan-

Digitized by Google

obſtantia quæque calcibus, & morſu petere conſueſcunt, abs te faceſſant, quam equi mordaces, & calcitroſi. Dauid certe Rex prudentiſſimus cum iſti hominum generi menſa, domoque ſua interdixit, adeo ſolitudinem non timuit, vt perſuaſum habuerit, ſe non ante miniſtros fidos habiturum, quam eieciſſet homines, qui eſſent *Juperbo oculo, & inſatiabili corde*. Quin tu itaque, talis ac tanti Regis exemplum ſecutus, capitibus iſtis ventoſiſſimis valere iuſſis, oculos tuos iacis ad fideles terræ?

RATIO QVA VIRI HONORIBVS DIGNI CONQVIRANTVR LEGANTVRQVE.

CAP. LVI.

At potiſne ego ſum, inquies, in omnes imperij me partes oculos iacere?

Poſſe Principes, modo velint, oculos, vel in extremas terrarum oras intendere, Viroſque honoribus dignis inde legere, docet Theodoſius, qui, teſte Symmacho, *longe intendit oculos, & per immenſum requirit venas honorum, nulloſque auidius trahit, quam nihil deſiderantes.* Symmach. ep. 81. lib. 3.

Scire vis, o Princeps, qua ratione in loca etiam diſiunctiſſima oculos tuos intendas? Eadem plane, qua manus quouis terrarum porrigis: namque

Longas Regibus eſſe manus

Q tritum

tritum eſt iam ſermone prouerbium. Oculos igitur iſtos, quos longe intendas, ne alios eſſe puta, niſi acris iudicij, fideique incorruptæ Viros. Talibus nempe oculis, & auribus Princeps (loquor verba Themiſtij) καὶ ὄψεται θαμὰ καὶ ἀκούσεται τὰ μὴ πλησίον, καὶ εἴσεται τὰ πόρρω καθάπερ οἱ μάντεις, καὶ πλείοσιν ἅμα παρέσται καθάπερ οἱ θεοί. *& videbit frequenter & audiet ea quæ non ſunt in propinquo poſita, & cognoſcet longinqua, more vatum, & pluribus ſimul intererit, Deorum inſtar.*

Themiſt. orat. 3

Eiuſmodi ſane oculorum opera tanti eſt, vt ea magiſtratus non raro meliores lectos fuiſſe conſtet, quam vno ipſorummet Principum iudicio. Neque id mirum. Quemadmodum enim Sagittarius, qui e ſublimi ſagittas deorſum iacit, longe ſæpius aberrat a ſcopo, quam qui ex imo ſurſum: quippe *ratio, & moderatio mittentis*, vt aiebat Iulianus Rhetor, *præcipitantia ipſa, & pondere cadentis teli corrumpitur*: ſic fit, vt Principis de aliquibus opinio (ſeu mole rerum, ſeu maieſtatis, publicos hominum congreſſus, qui morum cenſores eſſe ſolent, vitantis cura, ſeu malis quorumdam artibus, animum eius tranſuerſum agentibus) minus recta ſæpe ſit, quam illorum, quos infra imperij faſtigium poſitos, nec tot curæ diſtrahunt, nec ab hominum cœtu auocat maieſtatis amor, nec a recto facile deflectunt improborum doli.

Apud Agell. lib. 9 Cap. 1.

Rationem hanc quærendorum ad honores hominum, quam tradimus, Princeps noſtra memoria celeberrimus, propterea minus probabat, quia quoties non ſuis, ſed alienis oculis vſus, homines quæſierat, ſe toties deceptum fuiſſe ſenſerat.

Atqui (vt de alijs taceã) eam non improbauit Gre-

gorius

gorius Magnus; ſiquidem ſanctiſſimus, idemq pru- Io. Diac. in vita S. Greg. lib. 3. nu. 11. & 12.
dentiſſimus Pontifex *vtriuſque Paterfamilias gregis Dominici*, & Mariniani Epiſcopi Syracuſani, & Cypriani Diaconi, & Petri Subdiaconi, & Paſſiui Epiſcopi, & Iohannis Epiſcopi, ad Viros, qui Epiſcopali honore digni eſſent quærendos, examinandoſque, opera vſus legitur.

Quid? Bernardus, Vir ſanctitate, doctrina, re- S. Bernar lib. ad Eugen. 4.
rumque vſu præſtantiſſimus, tantum alienis oculis tribuit, vt de manuum impoſitione verba faciens, Eugenio Papæ hoc monitũ det. *Et hoc tibi perſuade. Qui admittendi ſunt difficile in Curia poſſe probari, & ideo, ſi fieri poteſt, viros probatos oportere deligi, non probandos. Nos in monaſterijs omnes recipimus, ſpe meliorandi. At Curia bonos facilius recipere magis, quam facere conſueuit. Quod ſi plures in ea defeciſſe bonos, quam malos profeciſſe probauimus; quærendi ſane, quibus, nec defectus timeatur, nec profectus optetur, vtpote iam perfectis. Itaque non valentes, neque currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes. Etiam coge illos, & com-* Luc. 14.
pelle intrare. Hæc ille.

Porro ſi viros probatos, non autem probandos deligi oportet: Si Curia bonos facilius recipere, quam facere conſueuit: ſi plures in ea boni defecerunt, quam mali profecerunt; annon extra Curiam quærendi ſunt, quibus populi regendi committantur? Rurſus, ſi Principes, & negociorum magnitudine, & maieſtatis cura impediuntur, quominus ad tales viros inueſtigandos huc illuc proficiſcantur, annon aliqui mittendi ſunt, qui eorum vices gerant? Sane vero. Cum hæc ita ſint, alienis tu quoque oculis vti ne dubita, at ijs, qui arquatis ſimiles non

Digitized by Google

ſint. Nam quemadmodum

Lucret.

lurida fiunt quæcunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt,

ſic profecto auari, ambitioſique miniſtri cum omnibus in rebus vtilitatem ſuam ſpectare ſoleant, nonniſi homines ſui ſimiles conquirunt, Principibuſque inſinuant. Simplicibus igitur, integriſque ijs oculis vtitor, qui, vt *totum corpus tuum*, imperium ſcilicet tuum *lucidum* ſit, id ſtudent, vt Viros virtute præcellentes, ambitus ignaros, intraque ſua merita latitantes, ex plateis, & vicis ciuitatis, atque ex ſepibus, ad regiam iſtam honorum cænam inuitent, eoſque, vel inuitos intrare compellant.

QVI HONORES NON AMBIVNT, II VVLGO PAVPERES, CAECI, ET CLAVDI ESSE VIDENTVR, AT SAPIENTIBVS VIRIS NON ITEM.

CAP. LVII.

QVid ergo? An vt regia illa domus, cuius meminit Lucas Euangeliſta, & ad quam alludebat S. Bernardus, ita regna quoque pauperibus, cæcis, debilibus, claudiſque complenda erunt?

Quidni? Probos enim illos, qui non ex ingerentibus ſeſe, verum ex ſubtrahentibus leguntur per me, vt pauperes, cæcos, claudoſque appelles licet

licet. Pauperes quidem, quod terrenas opes, vel non habent, vel ſi habent, ſunt *tanquam non poſſidentes*; cæcos, quod ad purpuras, diademata, ſceptra, ſplendidaque id genus Fortunę miſſilia, nec ora conuertunt ſua, nec ſinum ſolliciti expandunt; debiles demum, & claudos, quod non concurſant huc illuc, teruntque, prænſando, potentiorum limina. Quamquam re vera ille non pauper, ſed diues eſt, qui, terreno auro ſpreto, in ſpiritalibus, veriſque diuitijs cumulandis totus occupatur, & *quicquid apud ceteros in rebus humanis ſublime, ac magnum videtur, intra ſuam conſcientiam iacere gloriatur:* ille non cæcus eſt, ſed bene oculatus, atque adeo lynceus, qui oculos ſuos caducis dignitatibus occludens, æternis autem aperiens dicit ex animo Regi ſæculorum: *Adueniat regnum tuum*: hoc eſt: *Da mibi, vt regni tui ſincero tenear deſiderio, regni, inquam, illius, vbi ſemper liliorum, roſarumque blandior luxus arridet, vbi pictura floris odoriferi non marceſcit, vbi loci fœcunditas neque nube premitur, neque Sole ſiccatur: vbi non finitur cum poſſeſſore poſſeſſio, vbi quicquid deſiderat animus, dat aſpectus:* ille non debilis, & claudus, ſed firmus, & rectus eſt, qui terrenarum rerum cupiditate vacuus, huius vitæ ſtadium ſic currit, *non quaſi in incertum*, ſed vt ſempiternæ felicitatis brabium comprehendat.

S. Cypr. ep. ad Donatum.

Venantius Honor Presbyt. in expoſ. orat. domin.

1. Cor. 9.

Quid plura? Meminiſtin, in tanta illa turba ex triuijs collecta, & ad regias epulas ire compulſa, vnum dumtaxat a Rege deprehenſum non habentem veſtem nuptialem? Nempe raro admodum contingit, vt qui, Sapientum iudicio, leguntur, ſpem boni Principis fallant.

ERRANT QVI PHILOSOPHOS RERVM AGENDARVM IMPERITOS VOCANT.

CAP. LVIII.

SEd iſtud hominum genus (dicis) ambroſia Philoſophiæ ſaturum, nectareque ebrium : aulicæ lucis fugitans, ſuaque ſe virtute inuoluens, cum vſu rerum careat, parum rebus ciuilibus idoneum eſt.

Quaſi vero ſola Aula ſit fax ingeniorum, Prudentiæ officina, rerum omnium mercatus, humanæque vitæ magiſtra. Equidem, vt capeſſenti Rempub. Vſum, hoc eſt Sapientiæ parentem apprime neceſſarium eſſe conceſſerim, ita vnos illos eo valere, quorum

Claudia. de Prob. & Olib. Conſ.

anxia mentem
Spes agit, & longo tendit præcordia voto,

vt credam, adduci non poſſum. Quid? quod quemadmodum, qui ſtant in litore longe ſæpe melius, quem exitum nauis aduerſis ventorum flatibus iactata, habitura ſit, intelligunt, quam nauigantes ipſi (ea eſt enim ingentium periculorum vis, vt mentes hominum obcæcare ſoleat) ita fere fit, vt qui extra turbinem Aulæ poſitus eſt : is (præſertim ſi acri ſit ingenio, noueritque ea, quæ meditatus eſt ad prudentiam ciuilem referre) Aulæ res multo acutius cernat, quam ipſimet Aulici, ſuarum nimirum perturbationum iactatione perpetua hebeſcentes.

ſcentes. Iniquiſſimus profecto is eſt Philoſophiæ Iudex, qui omnes eius cultores rerum agendarum imperitos promiſcue vocat.

Sunt nonnulli (ſcio) & ad rerum cauſſas inueſtigandas valde acuti, & ad ratiocinandum expediti, ſed rerum ciuilium tam rudes, vt qua in forum itur, quæue leges, decretaque, vel promulgata, vel ſcripta ſunt, prorſus ignorent. Vmbratiles huiuſmodi Philoſophos a Socrate in Theæteto merito irriſos, v. Plat. in Theæt. & lib. 6. de Rep. ſi muneribus publicis dignos putem, amens ſim. Ariſt. Eth. Nic. lib. 6. c. 7.

Ceterum viri illi, qui, exemplo Dei Opt. Max. (qui nimirum ſe ipſum intuens, intelligenſque, cælum mouet, orbemque terrarum adminiſtrat) Remp. ſi ad eam vocentur, ſapientia ſua recte gubernaturi ſint, iniuria rebus ciuilibus minus idonei eſſe dicuntur. Sane Philoſophus, teſtimonio Simplicij, Simpl. comm. ad Epicte. locum hunc Epicteti: οὐκοῦν οὐδὲ σὺ αὐτὸς ἀνωφελὴς ἂν εἴης αὐτῇ *Proinde ne tu quidem ipſi* (Patriæ) *fueris inutilis*, interpretantis: κοινὸς τε πάντων ἔσται πατὴρ (ait) καὶ παιδαγωγὸς, διορθωτής τε, καὶ σύμβουλος, καὶ κηδεμονικὸν πᾶσιν ἑαυτὸν παρέχων, καὶ συνεργὸς, ὢν παντὸς ἀγαθοῦ. *Communis omnium Pater erit, & Pædagogus, & Corrector, & Conſiliarius, ſeque Curatorem præbebit omnium, & Adiutor erit omnis boni.* Hæc Simplicius.

At mirum non eſt (inquies) a Philoſopho mercem ſuam commendari. Eadem omnino dicent pro ſe Iuriſconſulti, & fortaſſe rectius. Ain vero? Dicant ſane Iuriſconſulti, quæ velint pro ſe. Etenim ſi tales extiterint, quales eſſe debent, & qualis Ser. Sulpicius; qui certe quidem, teſte Cicerone, Iuriſprudentiæ Dialecticam, & litterarum ſcientiam, & Cic. in Bruto. loquendi elegantiam adiunxerat, olim fuiſſe legitur,

tur, quicquid pro ſe dicturi ſunt, id enimuero Philoſophos non mediocriter iuuabit; quis enim tales Iuriſconſultos ex Philoſophorum albo auſit expungere? Nam quod ad vænales rabulas attinet, quid ſibi de illis polliceri poſſit Reſpublica, non video.

EXEMPLA PHILOSOPHORVM QVI RERVM VSV MAGNOPERE VALVERVNT.

CAP. LIX.

Vin tu igitur, vt, quæ dixit Simplicius, exemplis comprobemus?

Haud quidem facile Viros inuenies (fateor,) qui communes Patres, Pædagogi, Correctores, Conſiliarij, Curatores omnium, & Adiutores omnis boni futuri ſint; ſed, ſi diligenter quæſieris, inuenies tamen. Voluit ſiquidem diuina Prouidentia, vt nunquam deeſſent ingenia, a quibus erudiri & regi poſſet humanum genus. *Manifeſtauerunt enim* (audi B. Proſperum) *diuinorum eloquiorum multa auctoritates, & continua omnium ſæculorum experimenta docuerunt, iuſtam Dei miſericordiam, miſericordemque iuſtitiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis, iuuandisque eorum mentibus defuiſſe.*

S. Pr. ſp. lib. 1. de Voc. gen.

Habuit itaque Gens Hebræa ſummos Philoſophos, eoſdemque rerum agendarum periti ſſimos. Ecce tibi Abrahamum, qui, quandiu manſit in regione, ſectaque Chaldæorum, Abram vocatus eſt,

Pater

Pater,ſcilicet,ſublimis; propterea quod, (vt docet Philo Iudæus) ſublimis, æthereæq; naturæ ſcrutator eſſet; poſteaquam vero Deum ſequi cœpit, Abraham, hoc eſt Pater multitudinis, ideo diuinitus appellatus eſt, quia Pater fidei extitit. Hic nimirum ille eſt *multarum virtutum clarus inſignibus, quem*, vt inquit S. Ambroſius, *votis ſuis Philoſophia non potuit æquare*. S.Ambr.ſerm. de Abraham. Quanta is prudentia familiam ſuam rexerit, quanta ſtrenuitate Reges illos, qui Lothum captiuum abduxerant perſecutus ſit, profligaueritque, non ignoras. Ecce Ioſephum Virum ſapientiſſimum, in cuius vita optimi Viri ciuilis a Philone Iudæo, forma deſcribitur; Sed Moſes inſtar omnium ſit, quem τὸν τῆς θεολογίας ὠκεανὸν, ὅθεν πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλαττα, *Theologiæ Oceanum, ex quo omnes fluuij, & mare vniuerſum*, iure appellauit Theodoretus. Philo. Iud. lib. de Gigan. Incredibile eſt, quam recte, ſapienterque magnus hic Vir, vbi primum Hebræorum Dux a Deo factus eſt, imperauerit, quanta dexteritate, patientiaque dura, pæneque intractabilia eorumdem ingenia tractauerit, molliueritque. Theodor.ſerm. 2.de Principio Equidem quoties tanti Viri vitam conſidero, toties mihi, non hominem, ſed manum Numinis, non tam Iſraeliticam Remp. regentem, quam rectum bene imperandi iter omnibus Principibus indicantem, videor intueri. Habuit & Græcia Philoſophos ad agendum aptiſsimos; nam Socratem fuiſſe aliquando Senatorem, & iurisiurandi memorem, Populo rem iniquam petenti, conſtanter obſtitiſſe; pugnaſſe etiam eumdem apud Potidæam, Plato & Xenophon (quos profecto libentius audio, quam Maſurium neſcioquem apud Athenæum) memoriæ prodidere. Hic ipſe Plato, Plato in Charm. Xenoph lib. 1. mem. & lib. 1. Hiſt. gr. ſub finem. Athen. lib. 5. Deipn. c. 14.

v. Aelia. de Var. Hiſt. quam vtilis Dioni fuerit, ex eo cognoſci licet, quod eum, & in Siciliam reduxit, & rationem docuit, qua Dionyſij tyrannidem euerteret. Xenophon autem, annon bellicis etiam laudibus floruit, Duxque optimus habitus eſt, & cum neceſſitas aliquem poſceret, qui Græcos ſeruare, incolumeſque domum reducere poſſet, hoc illi potiſſimum negocium datum fuit? Ariſtoteles quantum Alexandro, eiuſque Regno profuerit, dixit paucis hiſce verbis Ammonius: καὶ μέγα μέρος γέγονε τῆς τούτου βασιλείας. πολλὰ γὰρ ἐδυνήθη παρὰ τῷ βασιλεῖ, καὶ τῇ δυνάμει δεόντως ἐχρήσατο, εὖ ποιῶν καὶ ἑκάστῳ ἰδίᾳ, καὶ πᾶσι κοινῇ. *& magna pars fuit regni huius* (Alexandri), *multum enim valuit apud Regem, & potentia (vt oportet) vſus eſt, cuiuis priuatim, publiceque benigne faciens.* Vt de alijs taceam. Demetrius Phalereus, qui *proceſſerat in Solem & puluerem, non vt e militari tabernaculo, ſed, vt e Theophraſti doctiſſimi hominis vmbraculis*, mirum quanta cum dignitate Athenienſem Remp. rexit! mirum quantum idem, poſteaquam Athenienſium inuidia eiectus fuit, Ptolemæum Aegyptiorum Regem in rogandis, ferendiſque legibus iuuit!

Ammon. in vita Ariſtot. quæ Commentarium in Categor. præcedit.

Cic. in Bruto.

Romani quoque ſuos habuerunt Philoſophos Reip. apprime gnaros, rebuſque gerendis idoneos, Seru. Sulpicium ſcilicet, Catones, Ciceronem, Senecam, M. Aurelium Imperatorem, & alios complures. Denique Chriſtiana Religio, quam multos habuit in vniuerſo terrarum orbe, qui ab Apoſtolis, veris nimirum Philoſophis, eruditi, populis doctrina, & exemplo mirabiliter præluxerunt!

Quid Baſilio Magno, tribus Gregorijs, Nyſſeno, Nazianzeno, Thaumaturgo, Athanaſio, Hilario, Augu-

Digitized by Google

Auguſtino, Gregorio Magno, Seuerino Boetio doctius, prudentius, ac ſanctius?

Aetas me deficeret, ſi eos nunc enumerare velim, tam Sacerdotes, quam Laicos, qui cum Philoſophiæ ſinu ad honores ac Reipub. munera euocati eſſent, ita ſeſe geſſerunt, vt nemo non temporum felicitati gratulatus fuerit, bonorumque omnium Largitori, de tanto beneficio gratias egerit.

Hæc porro cum ita ſe habeant, quid aliud faciunt iſti, qui eiuſmodi Viros ad regendum ineptos dictitant, niſi regnorum columnas euertunt, publicæ ſecuritatis inſtrumenta labefactant, præclarumque Dei munus reſpuunt? Enimuero quemadmodum nullum diuinæ vltionis maius indicium eſſe videtur, quam Sapientum inopia: hoc enim hæ Iſaiæ minæ ſatis docent: *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem & Virum bellatorem, Iudicem & Prophetam, & Ariolum, & Senem, Principem ſuper quinquaginta, & Honorabilem vultu, & Conſiliarium, & Sapientem de Architectis, & Prudentem eloquij myſtici*, ita profecto nullum certius diuinæ benignitatis argumentum eſt, quam recte, ſancteque philoſophantium copia. Iſa. c.3.

PHILOSOPHVS RERVM ACTVI PRAETER DECORVM SE NON IMMISCET.

CAP. LX.

QVin ergo (inquies) id genus Philoſophi, publicæ ſalutis cauſſa, in luce hominum viuunt, ſuam Principibus operam offerunt, & gubernaculum, quod optime tractare norunt, ſibi tradi poſtulant?

Senec. De Tranquill. An. cap. 3. *Optimum erat* (en tibi reſponſum Athenodori) *actione rerum & Reip. tractatione, & officijs ciuilibus ſe detinere, ſed quia in hac tam inſana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus, parum tuta ſimplicitas eſt, & plus futurum ſemper eſt, quod obſtet, quam quod ſuccedat, a foro, & quidem publico recedendum eſt.*

Huic Athenodori ſententiæ facile, opinor, aſſentietur quisquis turbas oderit, ſciatque, Viro innocenti non minus periculoſum eſſe, honores, de quibus ambitioſi certant inter ſe, aucupari, quam homini nudo, inermique prædam, cui Leones inhient, perſequi.

Quid autem, ſi temporum ratio poſtulet, vt Philoſophus Patriæ laboranti adſit, & capeſſat Rempublicam? an is tunc expectabit, vt quæratur? vt inuitetur? vt rogetur?

Vtique Vir, cui nihil Patria carius eſt, more illorum,

lorum, qui ad extinguendum templorum incendium, vltro accurrunt, haudquaquam, eo tempore, patietur deſiderari officium ſuum. Ceterum ſi minus eiuſcemodi neceſsitate cogatur, nihil miſerius, & a Philoſopho alienius eſſe putabit, quam rerum actionibus, præter decorum, ſeſe immiſcere, animumque ſuum, *ὡς πανδοχείου θύρας ceu diuerſorij fores*, vt cum Iamblico ita loquar, cuiuis aperire. Neque vero interea Patriæ ſuæ deerit, dum ſibi canet, & Muſis. Etenim cum homines in vitia ruentes, doctrina, exemploque ſuo præhendet, ac retrahet, cum hæſitantes conſilio iuuabit, cum lugentes conſolabitur, cum, ſcribendo, de vniuerſo humano genere bene merebitur, publicum profecto negocium aget. Iambl. de Vita Pythag.

Iam iſtorum, qui philoſophicum ocium, ac nectar carpunt, ſcommata ita contemnit Philoſophus, vt eos illis ipſis verbis compellaturus ſit, quibus apud S. Gregorium Nazianzenum Hirundines Cycni. Nam cum Hirundines Cycnos cauillarentur, quod ſolitudinis amantes circa prata dumtaxat, & flumina canerent, Cycni cauſſam ſuam his verbis egerunt. Εἰ μὴ πολλά, καὶ ἐν πολλοῖς ᾄδομεν, ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο κάλλιστόν ἐστιν ἡμῶν, ὅτι μέτρῳ φιλοσοφοῦμεν τὸ μέλος, καὶ οὐκ ἀναμίγνυμεν θορύβοις τὴν μουσικήν. ὑμᾶς δὲ καὶ εἰσοικιζομένας οἱ ἄνθρωποι δυσχεραίνουσι, καὶ ᾀδούσας ἀποστρέφονται. *Si non multum, nec apud multos canimus, at illud certe in nobis pulcherrimum eſt, quod modum in canendo tenemus, nec muſicam tumultibus permiſcemus. Vos autem in ædes admiſſas homines faſtidiunt, & canentes auerſantur.* Atque ita quidem Philoſophus, qui ſe ſe in turbas haud temere det. S. Greg. Naz. epiſt. 1.

QVI

QVI HONORES QVIBVS DIGNI SVNT VITANT NON ABIECTO, SED MAGNO ANIMO SVNT.

CAP. LXI.

Ariſt lib.4. Eth cap 3. AT rurſum, credibilene eſt, homines demiſſi, paruique animi, cuiuſmodi ſunt ij (ſummi Philoſophi iudicio) qui honores vitant, ac bonis, quæ merentur, ſe ipſos fraudant, *μικροψυχίᾳ* relictu-ros, ac generoſi quippiam vnquam auſuros? Sperandumne eſt, fore, vt qui vna cum reliquo vulgo impotentium hominum potentiæ obnoxij viuunt, iniuriaſque ſeruiliter pati aſſueſcunt, ſiquando ad Rempub. accedent, ſeruilem, abiectumque animum exuant, improborumque conatibus, pro re nata, obſiſtant?

Fallitur, crede mihi, ac fallit, quiſquis iſthæc auribus tuis inſuſurrat. Nam cum, Philoſopho noſtro iudice, ille non paruo, ſed magno animo ſit, qui, ſi fiat optio, mauult magnos honores (modo illis par ſit) quam exiguos; is vtique demiſſo animo non eſt, ſed celſo, ac generoſo, qui, vt ad cæleſtes honores comparandos expeditior ſit, terrenos paruifacit. Nec tu, opinor, nec quiuis alius Hebr. 11. Moſem abiecti, puſillique animi hominem fuiſſe dicetis. S.Greg.Nyſſ. tract. 1. in Pſal.c.7. Atqui *Moyſes grandis factus* (inquit Apoſtolus) *negauit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*, hoc eſt

eſt τὴν βασιλικὴν ἀξίαν καθάπερ, τινὰ κόνιν προσπλα-σθεῖσαν τῇ βάσει τῶν ποδῶν, ἑκουσίως ἐκτιναξάμενος, *Regiam dignitatem, tanquam puluerem pedibus adhareſcentem ſponte excuſſit, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem:* Ideo nimirum fugacia Aegypti bona aſpernabatur, quia ad ſummum bonum adſpirabat.

Porro qui vulgo mixtus viuit ſibi, ac Deo, tam eſt ſcilicet potentiorum petulantiæ obnoxius, quam obnoxius eſt Sol ſagittarum ictibus. Enimuero non tantas habet vires iniuria, vt ad Virum Sapientem, eo quippe loco poſitum, quo nulla vis noxia vnquam accedit, peruenire queat. Quicquid contumeliarum, & iniuriarum in eum a petulantibus, & ſuperbis hominibus iacitur, infra illum cadit. Ac neſcio equidem, annon hoc ipſum innuerit Dauid, cum Virum iuſtum in Pſalmo XC. alloquens, ita cecinit. *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non accedet ad te malum.* Videtur enim loci huius hic ſenſus eſſe. Quoniam *Altiſſimum*, hoc eſt Deum, *poſuiſti refugium tuum*, ideo malum nullum, quod vere malum ſit, tibi vnquam accidet: bonis enim Viris calamitates omnes, nonniſi certaminis, premijque occaſio ſunt.

Nego itaque, Virum, qui perituros honores nihil curat, ſeruiliter iniurias pati aſſueſcere. Nego, eumdem, ſi capeſſat Rempub. improborum conatibus frangendis, imparem futurum. Sane quemadmodum corallium, quamdiu quidem eſt ſub aqua, molle eſt, ceditque fluctibus; ſimulac vero exemptum

ptum eſt, dureſcit illico, fitque de frutice gemma; & (ſi Metrodoro apud Solinum fides) typhonibus, fulminibuſque reſiſtit; ita ille, quamdiu in plebe latet (ſi tamen is latet, cui Virtus aſſidue prælucet) obſecundat, fateor, pro ſua prudentia, potenti nequitiæ, ne, ſi ei contumaciter, ac intempeſtiue obluctari velit, nec ſuo, nec publico bono frangatur. Verumenimuero vbi a turba ſecretus, atque in vſum publicum promptus eſt, tum demum ex vimine, vt ita dicam, gemma factus, præſtat ſe Virum, ſuam exerit Sapientiam, & quorumuis periculorum typhonibus, fulminibuſque conſtantiſſime reſiſtit. Certe quanta plurimorum, qui Aulam, ne a limine quidem ſalutarant, in gerendis magiſtratibus, (cum id publica ſuaſit vtilitas) frontis promptitudo, firmitaſque fuerit, ex Hiſtoria cum ſacra, tum profana cognoſces.

Solin. cap. 8.

Ex his facile, puto, intelligitur, non eſſe Philoſophos rebus ciuilibus ineptos, vt aiebas, ſed illos potius Principes de humana ſocietate peſſime mereri, qui tales Viros, vel, vt architectos, vel, vt fabros, ad publicam felicitatem ædificandam adhibere negligunt.

PRINCEPS PERPETVAM IN SVOS CENSVRAM, EXERCEAT.

CAP. LXII.

QVi, vt tecum ſedeant legendi, & qui tibi fidi futuri ſint, dixi. Ceterum, quia nemo eſt mortalium, quin mutari, & ex optimo peſſimus poſſit euadere; ideo fac, vt quod a Symmacho de Theodoſij Imperatoris cenſura in ſuos olim ſcriptum eſſe, ſuperius diximus, id tibi nunquam excidat; Iſtos videlicet, quos probaſti, tibique adſidere voluiſti, *ſingillatim, vt nouos ſemper expende, neque conſuetudini condonato iudicium.* Symma. lib. 1. ep. 81 Ita enim eorum quiſque, gnarus, perpetuam in ſe ab illo exerceri cenſuram, qui, vt bonos diligit, complectiturque, ita prauos odit, eijcitque; ne uſpiam offendat, neue de gradu ſuo deijciatur, diligenter cauebit.

Hoc etiam Conſtantini Magni edictum, Vniuerſis Prouincialibus propoſitum (quo equidem neſcio, an quicquam ſit, quod ad omnes Miniſtros in officio continendos, magis valeat) hominibus imperio tuo ſubiectis, tibi proponendum ſuadeo.

Digitized by Google

l. 4. de Accusatio. & Inscripr. C. Thend. v l. 12. C. de Dignitatibus.

SI. QVIS. EST. CVIVSCVNQVE LOCI. ORDINIS. DIGNITATIS QVI. SE. IN. QVEMCVMQVE IVDICVM. COMITVM. AMICORVM VEL. PALATINORVM. MEORVM ALIQVID. VERACITER. ET MANIFESTE. PROBARE. POSSE CONFIDIT. QVOD. NON. INTEGRE ATQVE. IVSTE. GESSISSE VIDEATVR. INTREPIDVS. ET SECVRVS. ACCEDAT. INTERPELLET ME. IPSE. AVDIAM. OMNIA IPSE. COGNOSCAM. ET. SI. FVERIT COMPROBATVM. IPSE. ME VINDICABO. DICAT. SECVRVS ET. BENE. SIBI. CONSCIVS DICAT. SI. PROBAVERIT. VT DIXI. IPSE. ME. VINDICABO. DE. EO QVI. ME. VSQVE. AD. HOC. TEMPVS SIMVLATA. INTEGRITATE DECEPERIT. ILLVM. AVTEM QVI. HOC. PRODIDERIT. ET COMPROBAVERIT. ET DIGNITATIBVS. ET. REBVS AVGEBO. ITA. MIHI. SVMMA DIVINITAS. SEMPER. PROPITIA SIT. ET. ME INCOLVMEM PRAESTET. VT. CVPIO FELICISSIMA. ET. FLORENTE REP.

Digitized by Google

Næ illi Principes, qui operam dant, vt ijs, qui Miniſtrorum crimina ſe probare poſſe confidunt, tutus, ad ſe aditus pateat: qui palam edicunt, pergratum ſibi fore, ſi a quibuſcunque interpellentur: qui ipſimet audiunt omnia, ipſi cognoſcunt; ipſi ſe de ſontibus vindicant: ipſi denique illos qui vera detulerunt, dignitatibus, & opibus augent; nihil hoc diuinæ Sapientiæ oraculo certius eſſe ſentiunt: *Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Plane ita eſt. Rex, qui muneri ſuo non deeſt, ſed, tametſi Iudices exploratæ probitatis habere in regno ſuo ſibi videtur; ipſemet tamen, non dicis cauſſa, & ad ſpeciem, ſed ex animo iudicium exercet, facile *diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Nimirum, quemadmodum Solis, non autem reliquorum ſyderum radijs gelu ſoluitur, ad eumdem modum mala complura, præſertim vero Magiſtratuum & Palatinorum flagitia, non ceterorum Iudicum, ſed ipſiuſmet Principis intuitu diſſipari poſſunt. Viderint, qui, ſpecie conſeruandæ Maieſtatis, ædibus ſuis clauſi, a ſe ipſis quodammodo obſeſſi & θαλαττίου πλεύμονος vitam viuentes more barbarico, deliteſcunt. Vtinam iſti tandem aliquando intelligant, a Tyrannis, portentis nempe fœdiſſimis, merito lucem deuitari, ac latebras quæri, non autem a bonis Principibus. Quid enim ij claudantur, atque, vt ita dicam, ſuis ipſimet luminibus obſtruant, quos populi, tanquam Solem libenter ſemper aſpiciunt, admiranturque? Præclare omnino ac vere de Theodoſio Latinus Pacatus: *Noſter hic omnibus ſpectandus offertur, nec magis communem hunc diem, atque Solem, quam noſtrum Imperatorem videri licet. Quin cum vicinum habeant*

Prou. 20.

v. Syneſ. orat. de Regno.

beant permiſſa faſtidium, nunquam iſte mirantes expletoculos, magis, magiſque viſus expetitur, & (nouum dictu) præſens deſideratur. Sed pergamus ad reliqua.

AMBVLANS IN VIA IMMACVLATA HIC MIHI MINISTRABAT

DAVID

FAMVLOS, ETIAM INCORRVPTOS HABERE STVDEBAT.

CAP. LXIII.

v.Theodoretum in hunc locum.

NOn modo operam dabam (inquit Dauid) vt Conſiliarios, & publicos regni mei Adminiſtros quam optimos haberem, ſed ijs etiã famulis vti ſolebam, qui ambularent *ἐν ὁδῷ ἀμώμῳ in via immaculata; in via, quæ omni reprehenſione careret.* Hebraice בדרך תמים *In via perfecta.*

Quis miretur, quod Rex, qui bene ſibi conſcius dicebat. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*, non alios famulos velit, niſi eos, qui ambularent in via immaculata?

At illine (dicet aliquis) quos Dauid ad Bethſabeé miſit, vt eam ad ſe perducerent, ambulabant in via immaculata, erantque moribus incorruptis?

Erant fortaſſe, ac, vel nihil turpe ſuſpicati, Domino ſuo, innocentiæ nimirum fama claro, ſimpliciter,

Digitized by Google

citer; alacriterque paruerunt, vel, ſi ſcientes, ac volentes, lenones, ac perductores fuere, a recta via, per quam ambulabant, deflexerunt, vt certe quidem, pro humana imbecillitate, deflexit ipſemet Dauid. Ceterum fac, eos nunquam, re vera, ſed ſpecie tenus, probos extitiſſe, perſonam autem tum demum depoſuiſſe, cum ad Bethſabee ire iuſſi ſunt.; num ideo ſimulata ipſorum probitas efficit, vt Dauid mentiatur cum dicit: *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat*? Minime vero: Etenim qui hoc agit, vt famulos bonos habeat, is officio ſuo cumulate ſatisfacere videtur.

Illi ſane, illi merito culpandi ſunt, non autem Dauid, qui conniuent in ſuorum flagitijs. Illi culpandi, qui monſtra ex rebus inter ſe contrarijs compoſita, domi ſuæ alunt; qui eoſdem, inquam, famulos, & incorruptos, & corruptiſſimos eſſe volunt: incorruptos quidem, vt res dominorum integre, ſanctcque tractent, corruptiſſimos vero, vt eorumdem cupiditatibus morigerentur.

PRINCEPS QVI FAMVLORVM SVORVM FLAGITIIS NON OCCVRRIT, MALE AVDIT.

CAP. LXIV.

HOc loco Rex noſter cum id ſe ſtuduiſſe, ait, vt incorruptos famulos haberet, nonne Principibus

pibus omnibus aures peruellit? non fodit latera? non ita exclamare videtur: Cauete, o quicunque imperatis, cauete muſcas, quæ *perdunt ſuauitatem vnguenti*, bonam ſcilicet famam? Quippe nihilo ſecius eius Principis, cuius domus prauis famulis patere ſolet, fama corrumpitur, quam vnguentum illud, in quo, per Vnguentarij negligentiam, inhæreſcunt, pereuntque muſcæ, corrumpitur.

Sed perpauci vocibus hiſce mouentur. Nonnulli cum ſatis habeant, ſi nullo ipſimet flagitio ſeſe commaculent, exiſtimationem ſuam prauorum famulorum infamia, nequaquam labefactari poſſe ſibi perſuadent. Sed hi longe falluntur opinione; nam profecto qui cum improbo verſatur

Plaut. in Curcu.

culpant eum, conſpuitur, vituperatur,
Eum rem, fidemque perdere, tametſi nihil fecit, aiunt.

Nimirum vix credibile eſt, eum, qui flagitioſis familiariter vtitur, flagitium odiſſe. Prudenter

S. Iſidor. Peluſ. ep. 124. lib 3.

S. Iſidor. Peluſiota. Δεῖ γὰρ φοβεῖσθαι τὰς κακηγορίας, κἂν μὴ ἀληθεῖς ὦσιν, ἐπειδὴ πολλοὶ τὴν ἀκρίβειαν ἀγνοοῦντες, πρὸς τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι. καὶ τοιοῦτον ἕκαστον εἶναι κρίνουσιν, οἵους ἂν τοὺς συνόντας θεάσωνται, οὐκ ἀπὸ τῶν πραγμάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν συνδιατριβόντων φέροντες τὴν ψῆφον. εἰ γὰρ ἀρετὴν, φασὶν, ἀσκεῖς, τί σοι βούλεται ἡ μετὰ τῶν κακίστων συνουσία; *Metuendæ ſunt enim vituperationes, etiamſi falſæ ſunt. Quandoquidem plerique Veritatis ignari, famam intuentur, atque vnumquemque talem eſſe iudicant, quales eos eſſe vident, qui cum eo verſantur; non a rebus tantum, ſed etiam ab ijs, qui cum eo conſuetudinem habent, calculum ferentes. Si enim virtutem colis, inquiunt,*

quiunt, quid cauſſæ eſt, quod cum improbiſſimis hominibus coniungeris?

Alij famam ſuam improborum domeſticorum conſuetudine fœdari quidem credunt, ſed ſatis demum hominibus ſe facturos exiſtimant, ſi eorum, quos in flagitio deprehenderint, ſupplicio, maculas contractas eluerint. Hi, meo quidem iudicio, tam ſtulte faciunt, quam qui faciem ſuam fœde vulnerari nihil penſi habeat, quod cicatricem certo medicamento, deleri poſſe confidat. Etenim, quam difficile ſit, vt fama ſemel conſpurcata priſtino ſuo nitori, ſuiſque, vt ita dicam, natalibus reſtituatur, experiendo ſentimus. Huc accedit, quod non defuere, qui famulorum ſupplicio, nomen ſuum adeo non expiarint, vt magis, magiſque impiarint, iuſſique ab ſe ſceleris rumorem abolere, memoriamque ſepelire voluiſſe viſi ſint. Quanto igitur melius eſt, vt qui imperant, ſuorum flagitijs occurrant, ſicque famam ſuam ab omni labe ſinceram, integramque conſeruare ſtudeant, quam, vt inquinatam expurgandam ſuſcipiant!

NON

NON HABITABIT IN MEDIO DOMVS MEAE QVI FACIT SVPERBIAM

DAVID, NON HABEBAT IN FAMVLITIO SVO HOMINES SVPERBOS ET SVBDOLOS.

CAP. LXV.

SEptuaginta Interpretes præterito imperfecto vſi ſunt. *οὐ κατῴκει ἐν μέσῳ τῆς οἰκίας μου ποιῶν ὑπερηφανίαν. Non habitabat in medio domus meæ faciens ſuperbiam*. Is videlicet, qui regio fauore ſubnixus, quoſuis arroganter deſpicit, atque opprimere geſtit, non erat (inquit Dauid) in meo famulitio. Sapienter ſane. Cum enim ſuperbi amentes ſint, ac domorum, in quibus verſantur, flammæ; iure merito eos Vir Sapiens auerſatur, arcetque a ſuis ædibus.

Porro ſuperbos amentes eſſe, dixit S. Iohannes Chryſoſtomus, cum pluribus locis (vt a viris doctis obſeruatum eſt,) accipit *ἀπόνοιαν amentiam αὐτὴν τῆς ὑπερηφανίας pro ſuperbia*. Quidni vero illi amentes habeantur, qui ſupra modulum ſuum aſſurgentes cæteroſque præ ſe deſpicientes, humanam conditionem ignorare videntur? Eſſe etiam ſuperbos, domorum euerſores, quippe qui facile irritentur, & irritent, inficiabitur nemo.

S. Chryſoſt. hom. 29. in ep. ad Rom.

Hebrai-

Hebraice ita ſcriptum eſt: ***Non habitabit in medio domus mea*** עשׂה רמיה ***faciens dolum***. Hominis fraudolenti opera non vtar, ſiue v tebar. Magna profectò eſt Aulæ pernicies homo doloſus; quemadmodum enim auceps, obiecta eſca, aues illicere, ac irretire ſolet: ſic ille, totus in eo eſt, vt ſermonibus ſubdolis amicitiæque ſimulatione Viris bonis tendat inſidias. Sed bene habet. ***Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum***. Siquidem Viri prudentes, ſimulatque dolos ſubodorantur, veteris illius moniti memores: Prou. 1.

Δόλιον δὲ ἄνδρα φεῦγε παρ' ὅλον τὸν βίον. Menand.

Doloſum hominem fuge, quandiu vixeris;

ſtatim inſidiatorem, velis, vt aiunt, remiſque fugiunt. Itaque ***fraudolentus***, vt Prou. xij. ſcriptum eſt, ***non inueniet lucrum***, hoc eſt, ſpe ſua fruſtrabitur. Pulcre Hebræi; pro ***non inueniet lucrum***, ita legunt: ***Non aſſabit doloſus aucupium, ſeu venationem ſuam***. Eodem ſpectant LXX. Interpretes. οὐκ ἐπιτεύξεται δόλιος θήρας: *Non aſſequetur doloſus venationem*. Eludent eum aues, quas captat, euolabuntque. Nempe homo doloſus, Deo ſcilicet, hominibuſque inuiſus, non locupletabitur. Huc facit etiam hoc oraculum. *Anima diſſoluta eſuriet*. Anima רמיה *fraudulenta eſuriet*. Is, qui ſtruit dolos egeſtate conficietur, tantum abeſt, vt diteſcat. Hæc vtinam ſuperbi, ac ſubdoli ſæpe conſiderarent, eaque verà eſſe crederent. Vtique, nec alijs moleſtiæ, nec ipſi ſibi eſſent exitio. Sed quid ego Bacchas bacchari, quid Vulpes vulpinari veto? Plane fieri non poteſt, vt qui inſaniunt, rationem in conſilium adhibeant, recte ratiocinentur, verumque proſpiciant. Fieri non poteſt, vt qui dolos concin- Prou. c. 19.

T nare

nare, alioſque capere ſtudent, ſuas artes a quoquam eludi, ſeque capi vnquam poſſe ſibi perſuadeant.

QVI LOQVITVR INIQVA NON DIREXIT IN CONSPECTV OCVLORVM MEORVM

DAVID MENDACES FAMVLOS AVERSABATVR.

CAP. LXVI.

HEbraice eſt דבר שקרים *loquens. mendacia.* Verbum שָׁקַר eſt *mentiri, fallacem eſſe.* Nomen שֶׁקֶר *mendacium, fallacia.* Ait igitur Dauid: Homo mendax לא יכון non firmabitur: non ſtabilietur in conſpectu meo, non durabit apud me. Probe norat Rex optimus, Deum hominibus mendacibus valde infenſum eſſe, idque in Pſalmo V. ita cecinerat: *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Eos nimirum perdes, qui, vel factis, cum alicui ſtruunt inſidias, mentiuntur, vel verbis, cum aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habent.

bent. Se itaque in hoc quoque Pſalmo ad ſummæ Veritatis imitationem conferens, quemadmodum in proximo verſiculo eos, qui ſuperbe dolos faciunt, ſibi familiares eſſe poſſe negauit, ad eumdem modum in hoc etiam, ſe nunquam paſſum fuiſſe, ait, vt ijs, quorum oratio ab animo diſcrepat, bene in regia ſit, ſtetque illorum res. Græce eſt *οὐ κατεύθυνε ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν μου*: *non direxit*, ſubaudio viam, hoc eſt ſtudia, conſilia, actiones, *in conſpectu oculorum meorum*: Nôn mihi placuit.

Quam longe ab honeſto, & a Dauide Principes illi diſtant, qui omnia vtilitate ſua metientes, eos domi habent, locupletant, atque adeo ſummis ordinibus inſerunt, qui mendacia ſcite componere, ac ſimplicioribus fucum facere norint! Atqui egregij homines, ne, vel tantillum ab honeſto diſcedere videantur, aiunt, magnos Philoſophos, & ex noſtris veteres quoſdam Patres (quos profecto ab honeſto diſceſſiſſe, credibile non eſt) mendacio fauere, ac patrocinari. Quid? quod, nec ab ipſius Dauidis veſtigijs abeſſe ſe iactant? Nam quis neſcit, Dauidem, Achimelech Sacerdoti reſpondiſſe, ab Rege miſſum ſe in Nobe, ſuique aduentus cauſſam tacere iuſſum, cum tamen, re vera, nec miſſus, nec ſui aduentus cauſſam tacere iuſſus fuerit? Atque ita quidem iſti. 1. Reg. c. 21.

Equidem non ignoro, Platonem Magiſtratibus, tanquam publicis Medicis (mali alicuius auertendi gratia) mendacium non grauate concedere; atque ab Ariſtotele Oratorem, iuſta in cauſſa, ad fallaciam, in Rhetoricis informari. Sed nec ignoro, Ioſephum quemdam Abbatem apud Caſſianum

Plato lib. 3. de Rep.

Ariſt. lib. 1 Rhet.

 di-

Io. Caſſia. coll. 17. cap 17. dicere, mendacio ellebori vim ineſſe, eoque, ſi neceſſitas vrgeat, nobis vti licere. Scio denique Procop. in lib. 12. Reg. c. 15. Procopium Gazæum cenſere, *ὡς σὺν ἀγαθῷ τὸ ψεύδος ἰσόν ἐϛι τῇ ἀληθείᾳ*, *mendacium, quod bonum finem ſpectet, Veritatem adæquare*. Ceterum v. S. Baſil. in Anaſt. Syn. qu. LX. iſtorum, eorumque omnium, qui mendacium non inter ea, quæ, natura ſua, mala ſunt, ſed inter *ἀδιάφορα*, ſeu indifferentia poſuerunt, auctoritas non tanti eſt, meo quidem iudicio, vt a *S*. Auguſtini S. Aug lib. de Mendacio c. 14 ſententia nos abducat. Ita enim ille. *Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacij, quod peccatum non ſit, putauerit, decipiet ſe ipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitretur aliorum.* Senten- v 22 q 2. cap. Primum eſt capitale. v. S. Th. 2. 2. q. 110. ar. 3. tiam hanc, quippe quæ optima ratione nitatur, grauiſſimi Theologi ſecuti ſunt, & mendacium (qualecunque illud tandem ſit,) rem, ſuapte natura, malam, iurique naturali contrariam eſſe, pronunciarunt. Enimuero quiſquis lingua (quæ ſane idcirco homini data eſt, vt ſit interpres animi) abutitur, mendacium dicens, humanam ſocietatem, quam ſine dubio dictorum veritas continet, euertit. Ariſt. Eth. lib. 3. cap. 7. Hoc ipſum viſus eſt Ariſtoteles in Ethicis docuiſſe. Ait enim: *καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον, καὶ ψεκτόν*. *per ſe autem mendacium quidem malum, & vituperabile eſt: verum autem honeſtum, & laudabile*.

Quod ad Dauidem attinet, vel ingenue fatendum eſt, eum timore perculſum mentitum fuiſſe, ac propterea peccaſſe, vel certe, dicendum, non mendacio, ſed *ὁμωνυμίᾳ* vſum, ac non de Rege Saule, ſed de ſe ipſo, vt qui a Samuele iam Rex vnctus eſſet, locutum. Niſi vero dicere quis malit, ipſum, vtpote Prophetam, & Chriſti perſonam gerentem,

myſti-

myſticum quippiam Achimelech Sacerdoti locutum fuiſſe. v. S. Aug lib. de Mendacio c. 5. S. Th. 2. 2. q. 110 ar. 3. ad 3.

Deſinant itaque homines verſutiſſimi ſuos tyrannicos dolos Philoſophorum, ac Patrum, qui certe quidem, etſi Theologorum iudicio, errarunt, ferendi tamen ſunt, propterea quod nonniſi ob publicam, priuatamue ſalutem, iuſtaue in cauſſa, mendacium probarunt, pallio, vt ita dicam, inuoluere. Dauidem, qui, ſi mentitus eſt, vt infortunium vitaret, mentitus eſt, inuitum, ac repugnantem, ad ſeſe pertrahere deſinant.

IN

IN MATVTINO
INTERFICIEBAM
OMNES PECCATORES TERRAE
VT DISPERDEREM
DE CIVITATE DOMINI
OMNES OPERANTES
INIQVITATEM.

THEODORETVS DE IOSIA, QVI SACERDOTES IMPIOS INTERFECIT, LOCVM HVNC TOTVMQVE PSALMVM EXPONIT, NOS DE DAVIDE.

CAP. LXVII.

Theodoret. in hunc Pſal.

ISTam impiorum cædem Theodoretus conſiderans, Pſalmum hunc totum de Ioſia Rege optimo, a quo quidem Sacerdotes impios morte multatos, araſque, ac templa Idolorum euerſa, & ſacram Vrbem expiatam fuiſſe, ex ſacris litteris didicimus, interpretatus eſt. Et vero, quoniam Ieroſolyma ideo Ciuitas Domini dicta videtur, quia in ea templum Domini dicatum fuerat; quidni, dicet aliquis, Theodoreti ſententiæ acquieſcamus, ac

locum

locum hunc de Ioſia potius interpretemur, quam de Dauide, quo ſane regnante, nullum erat in Vrbe templum? Ceterum nos Dauidem hic etiam de ſe loqui arbitramur. Licet enim non eam impiorum cædem ab eo factam legamus, quæ a Ioſia facta eſt; facile tamen nobis perſuademus, Principem religioſiſſimum, in impios, cum occaſio fuit, ſeuere animaduertiſſe.

Neque vero, quia, eo regnante, nondum Ieroſolymis templum exſtructum fuerat, a ſententia diſcedo; apte namque eadem Vrbs propter Arcam Fœderis, quæ quidem Dei domicilium dicebatur, & quæ in Syon poſita erat, dici potuit Ciuitas Domini. Haud tamen illis repugnare auſim, qui Ieruſalem hoc loco Ciuitatem Domini appellatam aiunt, quod Dauid, Oraculo diuino edoctus, templum in ea exſtructum iri, probe noſset.

DAVID SVMMA DILIGENTIA STVDIIS HOMINVM IMPIORVM OBVIAM IBAT.

CAP. LXVIII.

לבקרים *In matutinis*. Nomen בקר *mane* oritur a verbo בקר, quod eſt *quærere, inſpicere*. Quippe mane, vt ait Rabbi Dauid Kimki, res, quæ noctu delituerant, quæruntur. Diligentiam hoc loco ſignificat. Summo mane, hoc eſt ſummo ſtudio

(inquit

Digitized by Google

(inquit Rex David) אצמית כל · רשעי ארץ excindebam , vel excindam omnes peccatores terræ. רשע eſt *impius*. Principijs obſtabam impietatis. Pie nimirum. Siquidem cum agitur de Religionis cauſſa, qua profecto nulla grauior cenſenda eſt, (nam *quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam*) bono Principi non ſtulti illi Medici imitandi ſunt, qui ſolent

l. 4. C. de Hæreticis.

Θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι

Incantationes accinere in morbo, qui opus habet ſectione,

Sophocl. Aia. flag.

ſed ſapientes illi, qui, ne occaſio, res videlicet, natura ſua, præceps, ipſis elabatur; vlceri, quod ad totius corporis perniciem ſerpit, ferro, igneque diligentiſſime obuiam eunt.

DAVID

MENTE MANVQVE PVRA, CAVSSAQVE PROBE COGNITA, IMPIOS EXCINDEBAT.

CAP. LXIX.

S. Iſidor. Pel. lib. 1. ep. 321.

PVlcre S. Iſidorus Peluſiota. Εἰς τὰς πρωΐας ἀπέκτεινον πάντας τοὺς ἁμαρτωλοὺς τῆς γῆς, λέγων ὁ ψαλμῳδὸς, τὸ ἀκριβὲς καὶ ἀπλαστὸν καὶ ἀσφάλειον τῆς δίκης παρέστησεν, ὅτι οὔτε θυμὸς, οὔτε μάθη τὴν αἵρεσιν ἀπεστήθετο. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, inquiens Pſaltes iuſtitia ſinceritatem & integritatem, ac prudentiam declarat, nempe quod,*

nec

nec iracundia, nec temulentia eum ad cædem impellebat. Et paucis interiectis, ipſum Dauidem in hunc modum loquentem inducit. Καθαρᾷ οὖν καὶ χειρὶ, καὶ γνώμῃ κατὰ τῶν εἰς Θεὸν ἁμαρτανόντων ἐξωπλιζόμην. ***Pura itaque, atque integra tum manu tum mente aduerſus eos, qui*** Deum ***ſceleribus ſuis laceſſebant, arma induebam.*** Recte omnino. Quid enim iuſtius, quid optimo Rege dignius, quam, vt qui de humano capite iudicat, perturbationibus conſilio inimiciſſimis, vacet?

Fortaſſe τὸ *In matutinis* oſtendit, non temere, indictaque cauſſa, ſed quæſtione quamdiligentiſſime habita, reos a Dauide damnari ſolitos fuiſſe. Id vero, quam iuſtum ſit, diuinæque legi conſentaneum, ex his, quæ Nicodemus in Concilio Phariſæorum protulit, *Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit, quid faciat?* perſpicuum eſt. o 7.

כל פעלי און *Omnes operarios iniquitatis*. Nomen און *iniquitatem, mendacium, vanitatem* ſonat. Id quam apte Hæreticos, homines videlicet iniquiſſimos, mendaciſſimos, vaniſſimos exprimat, nemo non intelligit. In eo itaque totus erat Rex piiſſimus, vt primariam Ciuitatem, quæ ceteris Ciuitatibus norma pietatis eſſe deberet, ab omni hæreſeos labe integram puramque conſeruaret. Et quidem quantum profecerit, ex his verbis Iſaiæ, ſui temporis Iudæos cum veteribus illis, quos Dauid Iſa. 1. rexerat, comparantis, cognoſci licet. *Quomodo facta eſt meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij, Iuſtitia habitauit in ea.* Τὴν κατὰ Δαβὶδ δὴ χρόνους ὑπογράφειν δοκεῖ (ait Procopius) ταύτην γὰρ ἐκ χειρὸς ἀλλοφύλων λαβὼν, τοῦ Θεοῦ τὴν κιβωτὸν ἐν αὐτῇ, καὶ τὴν Procop. in hūc locum Iſaiæ.

σκηνὴν κατεσκήνωσεν ἄχρι τοῦ ταύτην ἅγιον τόπον. τότε γὰρ ἦν ΠΙΣΤΗ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΑ. *Videtur porro tempora* Dauidis *ſubindicare. Hanc enim* (Sionem) *cum ab alienigenarum manu ſuſtuliſſet, arcam* Dei *ibidem, & tabernaculum collocauerat, in eaque, quod ſanctus eſſet locus, habitabat. Erat enim tunc temporis* FIDELIS ET IVSTA.

MAGISTRATVVM ET SACERDOTVM QVOS ISAIAS REPREHENDIT NEGLIGENTIA ET INIVSTITIA FACTVM EST VT IVDAEI DERELIQVERINT DOMINVM.

CAP. LXX.

SAnc Imperantium, vel vigilantia, probitaſque, vel ſomnus & prauitas, quantum ad Religionem, Iuſtitiamque, ſiue tuendas, ſiue labefactandas valeant, iſte Iſaiæ locus ſatis ſuperque docet. Etenim Ciuitas Ieroſolymitana, quemadmodum Dauide, Principe nimirum vigilantiſſimo, & integerrimo regnante, fidelis extitit & iuſta; ita Magiſtratibus, & Sacerdotibus illis, quibus cum loquitur Iſaias, rem Populi, Deique oſcitanter, iniuſteque tractantibus, eo prolapſa eſt impietatis & iniuſtitiæ, vt meretrix iure optimo appellata ſit. Porro Magiſtratuum, ac Sacerdotum iſtorum incuriam

curiam eleganter expreſſit hic ipſe Propheta, cum eos Medicis, qui hominem ſaucium, omnique morborum genere laborantem, curare negligunt, in hunc modum comparauit. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Videtur autem dicere. Conclamata eſt miſera Ciuitas; nam cum tota, quanta quanta eſt, contabuerit; illi, qui publicos Medicos morum,& Seruatores humani generis eſſe ſe profitentur, eam crudeliter deſeruerunt. Eorumdem etiam prauitatem, & iniuſtitiam manifeſto arguunt hæc verba. *Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Hoc eſt: Illi, quos curua corrigere,ac iniuriarum vindices eſſe oportebat, cum officium, fidemque prodant, ſceleriſque ſocietatem cum furibus ineant; cum (inquam) neque ius, neque fas in iure dicundo reſpiciant, ſed muneribus corrupti ſceleratos illos, quos compeſcere debebant, impune volitare ſinant; quid mirum eſt, ſi Populus, cui Principum ſtudia imitari mos eſt,corruptiſſimus euaſerit, & cum meretrice, homineque vulneribus conciſo, & a Medicis neglecto, conferri meritus fuerit? Atque huiuſmodi quidam Iudæorum, qui, vaticinante Iſaia, viuebant, erant mores.

Iſa. c. 1.

Iſa. ibid.

Digitized by Google

POSTEAQVAM IERVSALEM A POMPEIO MAGNO EXPVGNATA FVIT, IVDAEORVM RELIGIO, SACERDOTIBVS CONNIVENTIBVS, VARIARVM HAERESVM LABE FOEDATA EST.

CAP. LXXI.

IAm extremis temporibus, cum(Iudæa a Pompeio Magno debellata, factaque Populo Romano ſtipendiaria)priſca,& legitima illa Regum, ſummorumque Sacerdotum inſtituendorum ratio defeciſſet, mirum quantum zizaniorum inimicus Homo in agro Domini ſuperſeminauit. Inde Sadducæorum, Scribarum, Phariſæorum,Hemerobaptiſtarum ,Nazaræorum, Galilæorum, & Herodianorum ſectæ. Sadducæi omnia humano arbitrio ſubijciebant, & *Epicuræam dementiam potius quam diuinæ legis iura, ſectantes*, animas noſtras interire, ac proinde fruſtra illos eſſe, qui ſperant, fore, vt homines aliquando reuiuiſcant, dictitabant. Deum mala omnia videre, Angelos, & Spiritum exiſtere, negabant. Scribæ ſacræ legis Interpretes erant, ſed ſophiſtici, ac ſuperſtitioſi. Phariſæi Fato cuncta regi, nec tamen hominis arbitrium tolli, & quaſi ſi in Pythagoræ verba iuraſſent.

Philaſtr.

Ioſeph. Antiq. lib.18. cap.2.

Act. 23.

Ioſeph. Antiq. lib.18. cap.2.

ſent, bonorum hominum animas in alia corpora transire, affirmabant. Ea (dicam breui) tradere ſolebant, quæ S. Hieronymus merito *aniles fabulas* appellauit, & quæ, ſi commemorare velim, honos mihi præfandus ſit. Hemerobaptiſtæ eadem, quæ Scribæ, & Phariſæi ſentiebant, niſi quod Sadducæorum ſententiæ addicti, mortuos in vitam reuocandos eſſe negarent. Nazaræi mactare victimas, & animatis veſci, nefas eſſe ducebant, aiebantque, Moſem legem aliam ab ea, quæ tradita eſſet, accepiſſe, ideoque Moſaicos libros minus probabant. Galilæi ſectatores erant Iudæ cuiuſdam Galilæi, hominis turbulentiſſimi, qui, ſpecie libertatis, & patriarum legum, ſeditione commota, multitudini perſuaſit, vt ne tributum Herodi, Cæſariue conferret. Hi Populum Dei mortalibus Principibus ſubeſſe, tributaque pendere, indignum rati, non alium ſibi Principem eſſe iactabant, niſi Deum. Herodiani *Chriſtum Herodem eſſe dixerunt*: Herodem ſcilicet illum (ſi S. Epiphanium audiamus) quo regnante, Ieſus Chriſtus cruci affixus eſt.

S. Hierony. ep. 151. ad Algaſiam q. 12.

v. S. Epiphan. Panar. lib. 1. c. 17. 18. 19. & 20.

Ioſeph. Antiq. lib. 18. cap. 1.

Tertull. de Præſcrip. adu. hæreſ. cap. 45.

Plane tantam hæreſum copiam, propterea rectæ doctrinæ inſperſam fuiſſe conſtat, quod illi, qui vigilare, cauereque debebant, ne quid Reſp detrimenti caperet, ſomno turpiter indulgerent. Quippe (vt de Romanis Magiſtratibus, qui pertinacibus Philoſophorum concertationibus intereſſe aſſueti, ſectarum diſſidia nihil fere morabantur, taceam) Sacerdotes, quorum potiſſimum intererat auita, & orthodoxa dogmata propugnare, vt Hæreticorum ſtudia in ſe ſe verterent, ſuæque auaritiæ atque ambitioni velificarentur, ſincerum Dei cultum ſuſque deque habuere.

PRIN-

Digitized by Google

PRINCEPS CATHOLICVS IMPIOS EX IMPERIO SVO EXCINDAT VERAMQVE RELIGIONEM TVEATVR.

CAP. LXXII.

EN habes, Catholice Princeps, quem in iſtis mendaciorum architectis, ex Ciuitate Domini extirpandis, imiteris. Habes, quorum ignauiam, impuritatem, & iniuſtitiam vites. Igitur *in matutinis*, hoc eſt ſumma diligentia, mente, manuque puriſſima, cauſſaque recte cognita, nefarijs Hæreticorum ſtudijs occurre, memor, te haud quidem Religionis Iudicem eſſe, ac Magiſtrum (ſummus enim eius Iudex, ac Magiſter eſt Romanus Pontifex) ſed Cuſtodem, ac Defenſorem. Sic nimirum S. Gregorius Magnus Mauritium Auguſtum interdum *Eccleſiaſtica* Pacis *Cuſtodem* vocat, interdum vero eum laudat, quod P*ietas eius, cuſtodia Fidei, qua Dominorum fulget* I*mperium, præcipua ſollicitudine ſemper inuigilat*, hortaturque ad vlciſcendas, repellendaſque iniurias, quas Epiſcopis Catholicis intulerant Donatiſtæ. Inſaniunt (mihi crede) qui aiunt, Reges de regno ſuo, publicaque tantum quiete, non autem de Religione ſollicitos eſſe oportere. Nam cum Regia, & Eccleſiaſtica poteſtas non ſint res ita inter ſe ſe diſtinctæ, vt duo regna, Galliæ puta, & Hiſpaniæ; ſed ita coniunctæ, vt

S.Greg. lib.6. ep. 6.

lib.5. ep.63.

Digitized by Google

vt anima & corpus, ex quibus conſtat homo, & vnum quippiam conficitur; eo fit, vt quemadmodum corpus animæ famulatur, ita Regia poteſtas, quibuſcumque rebus poteſt, Eccleſiaſticæ famulari, eamque ab ipſius hoſtibus, pro re nata, tueri debeat. Quæ igitur S. Leo ad Leonem Auguſtum olim ſcripſit, ea ipſa tibi nunc dici exiſtimato. *Imperator incunctanter aduerte, regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata reſtituas.*

S. Leo ep. 73. ad Leonem Auguſt. v. Fidei confeſſionem, quam Imperator coronatus exhibet apud Curopala.

HÆRETICI AB ECCLESIASTICA POTESTATE ANATHEMATE, A SAECVLARI VERO GLADIO FERIENDI SVNT.

CAP. LXXIII.

AT enim Eccleſiaſtici quoque habent arma, quibus auſus nefarios comprimant, & quæ bene ſtatuta ſunt, defendant, religionemque tueantur.

Habent, ſcio. *Interfici Deus iuſſit* (ait B. Cyprianus) *Sacerdotibus ſuis non obtemperantes, Iudicibus a ſe ad tempus conſtitutis non obedientes: & tunc, quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat; nunc autem quia circum-* S. Cypr. ep. 62.

ciſio

ciſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſeruos Dei cœpit, ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum de Ec-
S. Aug quæſt. ſuper Deuter. lib 5. c 39. Exod 2. *cleſia eyciuntur*. Et S. Auguſtinus cum locum illum Exodi explicaret. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur.* *Aſſidue*, inquit, *hoc dicit ſcriptura cum iubet occidi malos. Qua locutione vſus eſt Apoſtolus cum diceret: Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, iudicare? Nonne de his, qui intus ſunt iudicatis? auferte*
1. Cor. 5. *malum ex vobis ipſis, nam Græcus habet τὸν πονηρὸν quod etiam hic ſcriptum eſt. Hoc autem potius malignum ſolet interpretari quam malum Nec ait τὸ πονηρὸν, id eſt hoc malignum, ſed τὸν πονηρὸν, quod eſt hunc malignum. Ex quo apparet, eum voluiſſe intelligi qui aliquid tale commiſit, vt Excommunicatione ſit dignus. Hoc enim nunc agit in Eccleſia Excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Hactenus S. Auguſtinus.

Quid tamen ſi Hæretici perfricta fronte, contemptaque grauiſſima iſta cenſura, quæ *cenſura diuina*
Tertull. Apol. c. 39. *ſummumque futuri iudicij præiudicium* a Tertulliano iure merito appellatur, prauas opiniones ſuas deſerere nolint, & ſimpliciores aliquos ex Eccleſiæ catholicæ ſinu auferre, furarique pergant? An tantam audaciam, impietatemque impune ferent?

Fuit profecto tempus, cum hic ipſe S. Auguſtinus
S. Aug. ep. 48. ad Vincentium opinaretur, Hæreticos ad Orthodoxam fidem haud eſſe cogendos; verum poſtea, re diligentius conſiderata, experimentoque edoctus, aliter ſenſit.
v. Tertul Scorp. cap. 3. *Mea primitus ſententia erat*, inquit, *neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum; verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreti-*

cos

cos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur Ciuitas *mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem catholicam, timore legum imperialium, conuerſa eſt, quam nunc videmus ita huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea nunquam fuiſſe credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur; vt ipſis rebus agnoſcerem etiam in hac cauſſa rectè intelligi, quod ſcriptum eſt*: *Da Sapienti occaſionem, & ſapientior erit.* Hæc ille in epiſtola XLVIII, & in epiſtola L. *Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, vt redirent, ſi perditi filij coegerunt alios, vt perirent?* Prou. 9.

Viden, quantum timore legum Imperialium proficiatur, & quam conſentaneum ſit, vt qui alios ad interitum coegerant, eos Mater Eccleſia, vt in ſuum ipſius ſinum redeant, ac ſalutem conſequantur, cogat? Quid igitur inepti quidam, verba illa Domini Ieſu: *Mitte gladium tuum in vaginam*, perperam interpretantes, ferreum gladium Eccleſiæ auferre, ac ipſi quodammodo alterum brachium præcidere conantur? Habet Eccleſia, vt dictum eſt, Principes Eccleſiaſticos, habet & Laicos: Illorum ſpiritalem, horum corporeum gladium ſtringere munus eſt. Si igitur dextera manus gladium ſpiritalem nequicquam ſtrinxerit; optimo ſane iure ſiniſtra manus, ſæcularis nimirum poteſtas, quæ ferro Hæreticorum audaciam comprimat, præſto erit. Atque hæc fortaſſe cauſſa eſt, cur Petrum, qui Princeps Eccleſiæ futurus erat, Chriſtus ferro vti vetuit. Sed quæ in hanc ſententiam ſcripſerit S. Bernardus ad Eugenium Papam, audiamus.

X *Quid*

S. Bern. lib. de Confid. ad Eugen. Papam. *Quid tu denuo vſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negant, non ſatis mihi videntur attendere verbum* Domini *dicentis ſic*: *Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret & is: dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladij hic, non reſpondiſſet* Dominus: *Satis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo Eccleſia, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia; ille vero & ab Eccleſia exercendus eſt; Ille* Sacerdotis, *is militis manu, ſed ſane ad nutum* Sacerdotis, *& iuſſum* Imperatoris.

PRINCEPS CATHOLICVS HAERETICORVM LIBERTATEM CONSCIENTIAE TVENTIVM, IMPIAS QVERIMONIAS NIHIL MORETVR.

CAP. LXXIV.

Neque vero, ſi Hæreticos Imperator, ac Reges, Apoſtolicæ Sedis iudicium (quod certe idem omnino eſt, quod Eccleſiæ Catholicæ) ſecuti, comprimant, propterea vis vlla, quæ iniuſta dicenda ſit, infertur hominis arbitrio. Immerito enim olim querebantur Donatiſtæ, atque etiam recentiores quidam ſectarij queruntur, quod arbitrij libertatem diuinitus homini datam, homines tol-

v. s. Optat. Mileuit. l b. 3.

lere

lere moliantur. *Nam quis mente ſobrius Regibus dicat:*(inquit S. Auguſtinus) *Nolite curare in regno veſtro a quo tueatur, vel oppugnetur* Eccleſia *Domini veſtri? Non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe, ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus, quibus dici non poteſt: Non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus?* Cur *enim cum datum ſit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſeruare leuius eſt animam Deo, quam fœminam Viro?* Ita quidem S. Auguſtinus in epiſt. L. & idem libro III. contra Creſconium Grammaticum. I*n hoc enim Reges, ſicut eis diuinitus præcipitur, Deo ſeruiunt, in quantum* Reges *ſunt, ſi in ſuo regno bona iubeant, mala prohibeant, non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quæ pertinent ad diuinam religionem. Fruſtra dicis: relinquas libero arbitrio. Cur enim non in homicidijs, & in ſtupris, & in quibuſcunque alijs facinoribus, & flagitijs, libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia iuſtis legibus comprimi vtiliſſimum, ac ſaluberrimum eſt. Dedit quidem* Deus *homini liberam voluntatem, ſed, nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam*. Recte omnino. *Nec bonam hominis voluntatem infructuoſam Deus eſſe voluit, nec malam impunitam.*

S.Aug.ep.50,

v. S.Aug.epiſt. 48, & 50. ad Bonifacium Comitem.

Apage itaque impium iſtud ſophiſma, quo Ethnici quidam, & Hæretici, ſuam ſuperſtitionem, ac hæreſim propugnantes, conceſſam a Deo libertatem violari nefas eſſe dictitant. Enimuero nihil ea libertate, quæ vnius fidei confeſſionem, hoc eſt vinculum, quo Eccleſia Dei copulatur, diſſoluit,

Themiſt. Orat. ad Iouianum Imper.

Rhetor hæreſiarcha ſectas omnes veras eſſe docuit.

v. S. Aug. lib. de hæreſib. c. 72.

X 2 ciuium

ciuium animos diſſociat, publicam imperiorum quietem turbat, hominesque in ſexcentos errores, extremamque ſeruitutem præcipitat, ſeruilius dici, aut fingi poteſt. His ita conſtitutis, nihil impedit, meo quidem iudicio, quominus locum hunc Exodi, *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, conuictus noxæ, morte moriatur*, quem S. Auguſtinus de ſpiritali Excommunicationis gladio interpretabatur, nos de corporeo etiam interpretemur. Nimirum par eſt, vt qui hominem a cœtu fidelium aufert, eumque Hæreticis quodammodo vendit, is, ceu ſacrilegus plagiarius intereat. Et quidem ſi falſi illi Prophetæ, qui Idololatriam impie ſuadebant, hac diuina lege necari iubentur: *Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur quia locutus eſt, vt vos auerteret a Domino Deo veſtro*, quidni Hæretici, eiuſmodi ſcilicet Prophetis quamſimillimi, tollantur e medio? Præterea ſi laicæ poteſtati fas eſt, vt S. Paulus docet, in ſceleratos gladio animaduertere, (*non enim*, inquit, *ſine cauſſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*) quidni Hæreticos, homines quippe impios, turbidoſque, ac *lupos rapaces*, ab eodem Apoſtolo appellatos, eidem poteſtati occidere fas ſit?

Exod. c. 21.

Deut. c. 13.

Rom. 13.

1. Tim. 26.

v. Auct. quæſt. apud S. Iuſt in. Mart. q. 4.

V E-

VETERVM PATRVM AVCTORITATE PROBATVR HAERETICOS ESSE PVNIENDOS.

CAP. LXXV.

SEntentiam hanc, tametſi iuſtiſſimam, Hæretici ſemper exhorruere. Donatiſtæ olim propterea Catholicam Eccleſiam traducebant, & Macarianam vocitabant, quia Macarius Præfectus duos ex ipſorum ſecta occidi iuſſerat. Recentiores Hæretici hoc ipſo nomine ſæuitiam nobis paſſim exprobrant, & Eccleſiam Romanam, tanquam carnificinam abominantur. Nempe facinoroſis leges, Iudices, tribunalia, ipſumque vel Iuſtitiæ nomen odiſſe, atque execrari mos eſt. v. S Optat. Mileu. lib. 3.

Sane ſcelerati iſti, quam conſentaneum ſit, vt pœnas luant, ex Patribus doctrina, ſanctitateque præſtantibus diſcant. Quid S. Auguſtinus experimento edoctus ſenſerit, audierunt. Audiant nunc S. Optatum Mileuitanum, his verbis Macario Præfecto aduerſus Donatiſtas, patrocinantem. *Sed arguendus, vt dicitis, vobis videtur eſſe Macarius, quod ſine voluntate* Dei *æſtimatis, eum hoc facere non potuiſſe. Habetis huiuſmodi reos antiquos. Accuſate primo Moyſen ipſum legiſlatorem, qui cum de Syna monte deſcenderet, prope necdum propoſitis tabulis legis, tria millia hominum vno momento iuſſit occidi. Macarium differte paulisper. Phineem filium Sacerdotis, quem paulo ante memoraui, in iudicium* S. Optat. ibid.

prouo-

prouocate, ſi tamen inueneritis præter Deum *aliquem Iudicem. Nam quod accuſatis in perſona ipſius, a* Deo *laudatum eſt, quod in zelo* Dei *factum eſt. Supprimite interim voces, quibus in* Macarium *dictat Inuidia.* Recurrite *primo ad Heliam Prophetam, qui in riuo Cyſon cum pareret voluntati* Dei, *quadraginta, & quadringentos occidit. Sed forte dicitis, illos merito occiſos, iſtos indigne. Nunquam ſequitur vindicta, niſi eius anteceſſerit cauſa. Vindicauit, vt diximus Moyſes. Vindicauit Helias. Vindicauit Phinees. Vindicauit Macarius.* Hactenus S. Optatus. Audiant S. Leonem. *Merito*, inquit ille, *Patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egere, vt impius furor ab vniuerſa Eccleſia pelleretur, quando etiam Principes mundi hanc ſacrilegam amentiam ita deteſtati ſunt, vt auctorem eius, ac pleroſque diſcipulos, legum publicarum enſe, proſternerent. Et profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati, quæ, etſi Sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones, ſeueris tamen Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adiuuatur, dum ad ſpirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.*

S. Leo ep. 93. ad Turibium.

Audiant S. Gregorium Magnum, Gennadium Patritium & Exarchum Africæ, quod Eccleſiaſtica prælia, ſicut bellator Domini fortiter committeret, ſic laudantem. *Notum eſt enim hæreticæ religionis Viros, ſi eis, quod abſit, ſuppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer inſurgere, quatenus hæreſeos ſuæ venena ad tabefacienda, ſi valuerint, Chriſtiani corporis membra, transfundant. Cognouimus enim eos contra Eccleſiam Catholicam*

S. Greg. ep. 72. lib. 1. v. eiuſd. ep. 63. lib. 5. ad Maurit. Aug.

***licam*, Domino eis *aduerſante,colla ſubrigere, & fidem velle* Chriſtiani *nominis inclinare . Sed eminentia veſtra conatus eorum comprimat, & ſuperbas eorum ceruices , iugo rectitudinis premat*.** Latinis hiſce Patribus , quin ego Gregorium Theologum , Eccleſiæ Græcæ ſplendidiſſimum lumen , adiungo? Eum igitur in hunc modum verba facientem audiant . Ταῦτα καὶ λαϊκοῖς νομοθετῶ, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἐντέλλομαι, ταῦτα καὶ τοῖς ἀρχὴν πεπιστευμένοις· βοηθήσατε τῷ λόγῳ πάντες ὅσοι τὸ δύνασθαι βοηθεῖν ἐκ Θεοῦ. μέγα φόνον ἐπισχεῖν, καὶ μοιχείαν κολάσαι, καὶ κλοπὴν σωφρονίσαι; πολλῷ μᾶλλον εὐσέβειαν νομοθετῆσαι, καὶ ὑγιῆ λόγον χαρίσασθαι. οὐ τοσοῦτον ὁ ἐμὸς λόγος δυνήσεται πολεμῶν ὑπὲρ τῆς ἁγίας τριάδος, ὅσον τὸ σὸν στέργημα ἐὰν ἐπιστομίζῃς τοὺς κακῶς ἔχοντας. *Hæc &* Laicis *praſcribo, hæc &* Presbyteris *mando; hæc & ijs quibus* Imperium *creditum eſt. Omnes rectæ doctrinæ opem ferte, qui* Dei *beneficio opem ferre poteſtis. Magnum eſt cædem comprimere, adulterium coercere ,furtum caſtigare: quanto maius pietatem ſancire, ac ſanam doctrinam largiri! Non tantas vires ſermo meus habiturus eſt pro ſancta Trinitate bellum gerens, quantas edictum tuum, ſi peruerſis dogmatibus imbutos, compreſſeris.*

S Greg. Naz. Orat. 31.

Hic ipſe S. Gregorius cum ſperaſſet,fieri poſſe , vt Apollinariſtæ , ſi mitius tractarentur, reſipiſcerent, ſeque intempeſtiua iſta ſua Philoſophia nihil profeciſſe, quin etiam illos, non ſine aliquo Eccleſiæ damno, deteriores factos eſſe ſentiret; demum Olympium Diocæſareæ Præfectum rogauit, vt ne Hæreticorum iſtorum ſcelus impunitum abire ſineret. Verba eius hæc ſunt . Παιδεύεταί τι καὶ πολιὰ καὶ ἐν παύτῃ τὸ γῆρας, ὡς ἔοικεν, εἰς σωίτων ἀξιόπιστον. ἐγὼ γ' οὖν

S Greg. Naz. epiſt. 77.

πάντων

πάντων μὲν μάλιστα τῶν Ἀπολλιναριστῶν εἰδὼς τὴν ἐνθύμησιν, καὶ ἀσέβειαν. ὁρῶν δὲ καὶ αὐχένα τὴν ἀπόνοιαν, ἐνόμιζον τῇ μακροθυμίᾳ πράους αὐτοὺς ποιήσειν, καὶ μαλάξειν τῷ μικρῷ. ὥσπερ οὖν καὶ ταῖς ἐλπίσιν ὑπέτεινον· ἔλαθον δὲ, ὡς ἔοικε κἀκείνους χείρους ποιήσας, καὶ τὴν ἐκκλησίαν βλάψας, τῇ ἀκαίρῳ φιλοσοφίᾳ. οὐ γὰρ δυσωπεῖ τοὺς πονηροὺς ἐπιείκεια. Canicies *quoque nonnibil eruditur, nec ſenectus, vt video talis omnino eſt, quæ prudentiæ opinionem, fidemque mereatur. Ego cum omnium maxime Apollinariſtarum cogitationem & impietatem perſpectam haberem, nec ferendam eorum audaciam cernerem, exiſtimabam tamen fore, vt lenitate mea manſuetos, ac placidos eos redderem, ac paullatim emollirem: atque hoc mihi ſpe fingebam; verum, vt apparet, illud minime animaduerti, me peiores eos effeciſſe, ac per intempeſtiuam hanc philoſophiam Eccleſiæ nocuiſſe. Nec enim prauos homines lenitas inflectit.* Clauſula huius epiſtolæ hæc eſt. Ταῦτα εἰ μὲν αἰσχρὰ ἐγκλήματα, μὲν ἡ σὴ στερρότης. οἴσομεν δὲ καὶ ἡμεῖς, ὥσπερ οὖν πολλάκις ἠνέγκαμεν. εἰ δὲ βαρέα, καὶ οὐδὲ τοῖς εὐλαβεστάτοις βασιλεῦσιν αὐτοῖς φορητὰ, ἐπεξελθεῖν τοῖς γεγενημένοις εἰ καὶ τῆς ἀπονοίας ἔλαττον καταξίωσον. *Quæ ſi leuia & ferenda ſunt, ferat tua firmitas; feremus ipſi quoque, quemadmodum & ſæpe tulimus; ſin vero grauia, & ne ipſis quidem pietatis laude præſtantiſſimis Imperatoribus ferenda, ea quæ admiſſa ſunt, (mitius tamen, quam tanta audacia meretur) vlciſci dignare.*

I M-

Digitized by Google

IMPERATORVM CATHOLICORVM QVI CONATVS HAERETICORVM SEVERISSIME COMPRESSERVNT IVSTITIA IMITANDA EST.

CAP. LXXVI.

PORro, quam prompto, alacrique animo catholici Principes Epiſcopos iuuerint, veram doctrinam propugnarint, Hæreticoſque perſecuti ſint, ex hiſtoria perſpicuum fit. Conſtantinus Magnus, Nicenæ Synodi rogatu, Arium, eiuſque ſocios nonnullos in exilium eiecit. Theodoſius quoque, Valentinianus, Martianus, Arcadius, & Honorius leges tulerunt, quibus Hæreticos non ſolum pecunia multari, in exilium pelli, verberibus affici, ſed etiam necari voluere.

v. Sozom. lib. 1. c. 20.

C. De Hæret. L. Manichæos. L. Ariani. L. Quicunque.

Cum hæc ita ſint, illud Catholici Principes, & Eccleſiaſticæ Pacis Defenſores, cogitent velim, ſe, cum, Dauidem, pijſſimoſque Imperatores imitati, peſtilentes, ac turbidos iſtos homines de Ciuitate Domini exterminauerint, & vnicam, veramque Religionem probe ſtabilierint, non ſuas modo manus Deo conſecraturos, ſed illius etiam boni, quod regnis Iuſtitia parere ſolet, participes futuros. Id bonum quale ſit, non ex incerto mortalium teſtimonio diſcant, ſed ex hoc ipſius Veritatis oraculo. *Aufer impietatem* (hoc eſt *impium*, nam Hebraice eſt רשע, & Græce apud Septuaginta Interpretes ἀσεβεῖς *impios*) *de vultu Regis, & firmabitur Iuſtitia thronus eius.*

v. C. Th. de fide Catholica.

Prou. cap. 25.

v. Platonem Eu hyphr.

Enimuero Iuſtitia, vtpote comes, & miniſtra Religionis, tantum Principi, qui *auſert impietatem de vultu ſuo*, robur affert, vt eum Ciues, tanquam præpotentis Dei amicum, & mortalem quemdam Deum venerentur, ac pro eius incolumitate vota faciant, certatim excubias agant, fortunaſque ſuas, atque adeo vitam ipſam profundere, pulcrum, & decorum eſſe ducant. Quid? Talem Virum Iuſtitia ita defendit, propugnatque, vt eius Imperium Hoſtes, quaſi munitiſsimam arcem, perhorreſcant, & veluti auguſtiſſimum quoddam templum, VLTORISQVE DEI domicilium attingere, ac violare non audeant.

Vbi nunc ſunt illi Principes, qui tyrannica neſcioqua verſutia ſubnixi, cum peruicaces Impietatis cultores, & ſatores eijcere nolint, Imperium tamen æternum, felixque ſibi pollicentur, perpetuam Ciuium ſuorum obedientiam, victorias, ac triumphos de hoſtibus, aliaque regna ſomniantes? Deſipit plane, deſipit quiſquis imperia, in quibus fouetur Impietas, diu, feliciterque ſtare poſſe ſperat. Nihilo, inquam, minus deſipit, quam qui vlcus, quod purgari non vult, ſanari poſſe ſperat. Inepte ſibi blanditur, qui Ciues illos fidos, obſequenteſque ſemper ſe habiturum credit, quos callida Impietas fidem Deo, & hominibus datam fallere, ſummam ſapientiam eſſe docuit. Stulte demum ille victorias, triumphoſque ſe de hoſtibus reportaturum, imperiumque longe lateque propagaturum confidit, cui DOMINVS EXERCITVVM ſit hoſtis.

QVAE-

QVAERITVR NVM ETIAM IVDAEI EXTERMINANDI SINT.

VIDENTVR EXTERMINANDI ET EXCINDENDI.

CAP. LXXVII.

CEterum roget quis, num æquum ſit, vt Hebræi perinde ac Hæretici ex Ciuitate Domini exterminentur.

Videtur æquum eſſe. Quippe incredibile dictu eſt, quam impia, nefariaque ſceleſtiſſimi, ex eo tempore, quo Chriſtianæ Religioni bellum indixerunt, & ſentiant, & agant. Ea certe noſtrorum hominum nonnulli conſiderantes, mirantur ſubinde, indignanturque, a Chriſtianis Principibus homines ali, ac foueri, qui non modo Euangelio palam oblatrant, plebeculam furtis, ac dolis expilant, mulieres lenocinijs, & philtris fœde corrumpunt, diriſq; ſuperſtitionibus cuncta contaminant, ſed publicæ quoque ſecuritatis hoſtes (ideo enim a Synesio *γένος ἔκσπονδον genus infidum* appellantur) non raro deprehenſi ſunt. Sane imperante Traiano, Iudæi, qui circa Cyrenem habitabant, excuſſo Romanorum iugo, Romanos, & Græcos, vt narrat Dio, ſine vllo diſcrimine trucidarunt, nec

Syneſ. ep. 4.

Dio in Traiano.

cæde contenti, eo furoris venerunt, vt eorumdem carnibus veſcerentur, & inteſtinis adhuc ſanguinem diſtillantibus cincti, pellibuſque obuoluti, tanquam rabidæ feræ, (crudele ſpectaculum) diſcurrerent populabundi. Ducenta, & amplius hominum millia in eo motu obtruncarunt. Nec minorem in Cypro ſtragem edidere. Sub Hadriano bella mouerunt, ſiue quod vetarentur mutilare genitalia, vt ſcribit Spartianus, ſiue quod, vt refert Dio, e regione Templi, ædes Ioui fuiſſet erecta. Dux eius factionis erat Barchochabas, qui Chriſtianos, propterea quod a Chriſto, & Romanis deficere nollent, acerbiſſimis cruciatibus necauit. Huius belli teſtis oculatus fuiſſe videtur Sanctiſſimus Martyr Iuſtinus. Sub eodem Principe iterum impij ad arma conuerſi, Palæſtinam depopulati ſunt. Sub Theodoſio Alexandriæ Chriſtianorum plurimos noctu, per fraudem, e cubilibus excitos, iugularunt; neque multo poſt quodam in loco, qui Chalcidem, & Antiochiam interiacet (Inmeſtam vocabant) ſeditionem alteram, puero Chriſtiano in crucem ſublato, commouerunt. Sub Iuſtiniano res nouas moliti, & Iulianum quemdam Imperatorem coronarunt, & Chriſtianorum alios fortunis euerterunt, alios exciderunt. Phoca imperante, in quodam tumultu exorto Antiochiæ, Anaſtaſium Patriarcham virum doctrina, & ſanctitate conſpicuum, per Vrbem raptatum, illuſumque, igni tradiderunt, & ex noſtris complures occiderunt. Gallia, regnante Philippo Longo, graui peſtilentia, earumdem peſtium dolo, vt fama tenuit, inuecta, fere contabuit. Quid multis opus eſt? Nonne, Auorum noſtro-

Spartia. in Hadriano.
Dio in Hadriano.
S. Iuſtinus Apol. 2.
Socrates Eccl. hiſt. lib. 7. c. 11.
Socrates lib. 7. c. 16.
Paulus Diacon. lib. 16. hiſt. Miſc.
Paul. Diaco. lib. 17. hiſt. Miſc.
Niceph. Cal. lib. 18. c. 44.
Paulus Æmil. in Philippo Longo.

noſtrorum memoria, Iudæi, qui degebant Vene- tijs, Michæſio, homini eiuſdem ſectæ apud Seli- mum Turcarum Tyrannum præualido, eidemque auctori, flabelloque belli Cyprij, ſignificarunt, Venetæ rei neruos, ob incendium, quo turres, in quibus pyrius puluis aſſeruabatur, conflagrauerant, acciſos, ipſamque Ciuitatem annonæ caritate perurgeri? Nonne Michæſius de Venetorum inopia certior factus, Selimo perſuaſit, vt rei bene gerendæ, Cypri potiundæ, Imperijque Turcici proferendi opportunitate vteretur? Tanta iſta ſceleratiſſimorum hominum feritas, merito quidem haſce voces Rutilio extorſiſſe viſa eſt:

Antonius Maria Gratianus lib. 1 de bello Cyprio.

Atque vtinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeij bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſque ſuos Natio victa premit.

Etiamne igitur Iudæos κοινὴν λύμην (ſic enim loquitur Chryſoſtomus) καὶ νόσον τῆς οἰκουμένης ἁπάσης *communem perniciem, ac morbum totius orbis terrarum*, noſtris in Vrbibus commorari patiemur? Etiamne ſerpentes iſtos noſtro in ſinu fouebimus? Pro Chriſtianorum ignauiam non ferendam! Quin tandem expergiſcimur, & noxias iſtas beſtias, Deo ſcilicet, & hominibus inimiciſſimas, vel e ſinu in ignem excutimus, extinguimuſque, vel exemplo Ferdinandi Catholici, & ceterorum Hiſpaniæ Regum, finibus noſtris excedere iubemus?

S. Ioan. Chryſ. ſerm. 1. aduerſ. Iudæos.

Hæc aliaque id genus permulta paſſim quidam exaggerant ſtomachabundi.

IV-

I V D AE I
NEQVE EXTERMINANDI NEQVE EXCINDENDI SVNT SED RETINENDI MODO LEGES DE IIS LATAE SERVENTVR.

CAP. LXXVIII.

EQuidem Iudæorum rabidos in Chriſtum latratus τὰς τῶν πενήτων προδοσίας, τὰς κλοπάς, τὰς καπηλείας *pauperum proditiones, furta, cauponationes*, lenocinia, veneficia, ſuperſtitioneſque valde abominor, proindeque Chriſtianos Principes vehementer oro, vt quos iſtiuſmodi ſceleribus affines deprehenderint, in eos acriter animaduertant. Quin etiam, quoniam compertum eſt, miniſtros Iudicum extitiſſe, qui muneribus corrupti, Iudæorum flagitia, præcipue vero in Chriſtum, Euangeliumque maledicta diſſimularint, factique ſint Impietatis Patroni, ideo Imperantibus auctor ſum, vt Eruigium & Ricaredum Vuiſigothorum Reges, imitantes, iſti munerum corruptelæ ſeueris ſanctionibus obuiam eant. Sed num quia Iudæorum aliquot in populorum perniciem aliquando conſpirarunt (neque enim vera eſſe negauerim, quæ Hiſtoria, Famaque narrauere, quamquam Famæ, quippe quæ falſa perſæpe cumulet, veraque intendat, haud facile credendum eſt) num, inquam, totam gentem, nihil nunc turbulentum ten-

S. Io. Chryſoſt. homil. 1. aduer. Iudæos.

Cod. Vuiſig. lib. 12. l. 10 Quam ſit extraneum & lib. eod. tit. 2.

v. S. Gregor. Magn. ep. 127. lib. 7.

tentantem, in crimen vocabimus? At iſtud iure optimo hæc lex Honorij, & Theodoſij vetat. *Chriſtianis, qui verè ſunt, vel eſſe dicuntur ſpecialiter demandamus, vt Iudæis, ac Paganis in quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum, legibuſque contrarium, non audeant manus inferre, Religionis auctoritate abuſi. Nam ſi contra ſecuros fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint; non ea ſola, quæ abſtulerint, ſed conuicti, in duplum, quæ rapuerint, reſtituere compellentur. Rectores etiam Prouinciarum, & Officia, & Principales cognoſcant, ſe, ſi non ipſi talia vindicent, ſed fieri a popularibus permiſerint, vt eos, qui fecerint puniendos.*. Hactenus Honorius, & Theodoſius. Nempe optimi Principes, nec Iuſtitiam, quæ quidem eſt imperiorum fundamentum, nec Caritatem, quæ Chriſtianorum teſſera eſt, pati iudicarunt, ſontium ſcelus, inſontium pœnis lui. Certe neque illorum, qui Cyrenem, Aegyptum, Thebaidemque deuaſtarunt, neque illorum, qui Alexandriæ, Inmeſtæ, Antiochiæ, atque alibi tumultuati ſunt, ſeditiones, nec demum illorum, qui Selimum in rem Venetam incitarunt, coniurationem, vniuerſæ genti fraudi fuiſſe, palam eſt.

l.6.C.de Paganis,& Sacrif.& Templis.

SA-

SACRA ORACVLA ET SANCTI NOSTRI DOCTORES DOCENT IVDAEOS A CHRISTIANIS EXTINGVI NON DEBERE.

CAP. LXXIX.

IAm iſtorum vocibus, qui Iudæos omnes penitus extingui oportere, clamitant, an quicquam ſit, quod ſacris oraculis magis repugnet, non video. Ecquisnam, obſecro, Iſaiæ, ac Pauli Apoſtoli, reliquias Iſraelis, extremis temporibus, ſaluas fore prædicentium, vaticinio relinquetur locus, ſi, ~~tota nunc gente deleta~~, nullæ ſupererunt reliquiæ, quæ ſaluæ fiant? Eccleſia Catholica ſic Deum precatur; *Ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei*; hoc eſt, Ne penitus Iudæos extingue; refricant enim Chriſtianis cruciatuum Chriſti memoriam, cum vagi, rerumque omnium egentes, exemplum Iuſtitiæ tuæ circumferunt. At quis non videt, illos Eccleſiæ preces irritas fieri velle, qui vniuerſos Iudæos occidione occidendos eſſe, vociferantur? Porro Chriſtiani iſti, qui hæc ſpargunt in vulgus, quanto in errore verſentur, diſcant ex Bernardo, viro nimirum ſanctiſſimo, doctiſſimoque. *Audiuimus* (inquit ille) *& gaudemus, vt in vobis ferueat Zelus Dei, ſed oportet omnino temperamentum ſcientiæ non deeſſe. Non*

Iſa.c.10. Rom.9.

Pſ.58.

S.Bern.ep.322 ad Epiſc.Clerum et Pop. Spiren.

Digitized by Google

Non ſunt perſequendi Iudæi; non ſunt trucidandi; ſed nec effugandi quidem. Interrogate vos diuinas paginas. Noui quid in Pſalmo legitur prophetatum de Iudæis. Deus oſtendit mihi (inquit Eccleſia) ſuper inimicos meos: ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Viui quidam apices nobis ſunt, repræſentantes Dominicam paſſionem. Propter hoc diſperſi ſunt in omnes regiones, vt dum iuſtas tanti facinoris pœnas luunt, teſtes ſint noſtræ redemptionis. Hæc S. Bernardus, quicum profecto Princeps Theologorum Scholaſticorum B. Thomas Aquinas valde conſentit, cum Dei Opt. Max. qui mala interdum fieri permittit, vel, ne maius aliquod bonum impediatur, vel certe, ne mala grauiora eueniant, exemplo propoſito; docet, Iudæos, a Chriſtianis Principibus, vel eo nomine, tolerari poſſe, quod eorum ritus, Euangelicæ fidei veritatem, vt olim adumbrabant, ſic nunc, teſtimonio ſuo, confirmant.

v. s. Gregor. lib. 1. ep. 34. et ep. 16. lib 7. et ep. 59. lib eiuſd. v. Concil. Tolet. 5. c. 57.

S. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 11.

Digitized by Google

CHRISTIANIS PRINCIPIBVS FAS EST, CERTA LOCA IVDAEIS ASSIGNARE DVMMODO LEGES DE HAC GENTE PROMVLGATAE SERVENTVR.

CAP. LXXX.

DEnique, quamquam Hiſpaniæ Regum, ſectas omnes orthodoxæ fidei aduerſantes, a ſuo Imperio prohibentium, pietatem ſuſpicio, quia tamen a compluribus, iiſque religioſiſſimis Principibus; atque adeo ab ipſis Pontificibus Maximis (quorum quidem conſilium nemo Catholicus reprehendere auſit) in ſuis vrbibus certa loca Iudæis aſſignari videmus; idcirco nihil impedire arbitramur, quominus ceteri quoque Principes eoſdem in ſua ditione viuere ſinant. Ita ſcilicet arbitramur, dummodo leges tam veteres quam recentes de hac gente latæ, atque ex præ- v.S.Thom.2.2. q.10.ar.9. ſertim, quibus nimia eius familiaritate noſtris interdicitur, ſemper vigeant. Eas, quod ex Theodoſij, Iuſtiniani, & Vuiſigothorum Codicibus, ac

ac Sacrorum Canonum voluminibus, ſummorumque Pontificum ſanctionibus, quæ cuique ſunt ad manum, facile peti poſſunt, commemorare ſuperſedeo.

v. Concil. Lateranen. ſub Alexand. III. c. 26. Burchar. lib 4 c. 84

Cum Iudæis nec comedendum nec bibendum, nec medicamentum ab eis accipiendum eſt 28 q 1 cap nullus eorum. c. omnes.

v. Bullam Pij Quinti quę Incipit, *Romanus Pontifex*, qua Pauli Quarti Bulla quę incipit, *Cum nimis abſurdum*, confirmatur.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTATV DIGNIORVM.

A

ABRAHAM Idæa bonorum Principum pag. 33. Naturam ſpeculabatur. pag. 129
Adam fugiendo peccauit. 5
Adami e Paradiſo eiectio plus habuit miſericordiæ, quam ſeueritatis. 5
Adulatio, qua ratione cauenda ſit. 56. ſimilis Symphoniæ. 104
Adulator quis. 53. Scyllæ & Polypo ſimilis. 53. 54. pernicioſiſſimus. 54. 55
Aequum bonum. 3
Aeſchinis locus de donis uni Virtuti dandis. 119
Affabilitas plurimum valet ad populi beneuolentiam Principi conciliandam. pag. 139
Agar docti & praui hominis ſymbolum eſt. 102
Aiacis impia arrogantia. 20
Ambitio. eſt Vorago. 74. hydrops. 83. Dipſadis morſus. ibid.
Ambitioſus Behemoth comparatur. 75. 76. Eſt ingratus, & maledicus. 82. cum procaci meretrice confertur. 112. Cum Echino. 110. Cum Equis indomitis. 117. Cum equis dormientibus, 119. Eſt eijciendus. 114
Ambulare in Innocentia quid ſit. 26. 27
Ambulare in corde perfecto quid ſit. 31
Anaſtaſius Patriarcha a Iudais.

dais trucidatus. 174
Andronicus Comnenus Imper. Dæmonem conſulit, ſceleriſq; tanti pœnas dat. pag. 16
Angelorum, qui miſsi ſunt: ad Sodomam incendendam mira lenitas & patientia. 7
Antoninus Pius Imper. vir adulatione ſuperior. 56. *audiebat libenter conſilium.* 91
Arca fœderis dicta eſt pulcritudo. 30. *Cur eam Deus a Palæſtinis capi voluerit.* 30. *domicilium Dei.* 151
Ariſtippi ſeruile ingenium. pag. 81
Ariſtoteles Alexandro Magno, & omnibus vtiliſsimus. 130
Aſtrologi Dæmonis Angeli. pag. 41
Athenienſium de Sycophantis iudicium. 66
S. *Auguſtinus timore legum Imperialium Hæreticos ad fidem Orthodoxam conuertendos eſſe cenſuit.* pag. 161
Aula, Paludi, in qua Behemoth ſtabulatur ſimilis. 77
Aulicorum mos. 126
Aurigæ malo ſimilis qui ambitioſos ad honores euehit. pag. 117

B

Barrus eſt Elephantus. Homo ſubdolus ab Italis vocatur Barro. 76
S. *Baſilij Magni locus de conſuetudine prauorum hominum.* 101
Beate viuendi cauſſa homines in vnum locum conuenerunt. 63
Behemoth ſymbolum ambitioſi. 77. 78. 79. 80.
Belial Dæmonem ſignificat. 39. *etiam hominem impium, & impietatem.* 50
S. *Bernardi ſententia de Viris ad honores deligendis.* pag. 123

C

Caligula Equo Conſulatum deſtinauit. pag. 117
Calumniator humanæ vitæ hoſtis. 65. 66
Calumniatori qui credit, iniurius eſt. 65

Ca-

Calumniatoris inſidias Princeps caueat. 72. 73
Caroli Magni in Calumniatores ſanctio. 67
Clementia firmantur Imperia. 2
Clementia Dei. 4.5.6.7
Clementiæ officium. 2
Conſilium alienum repudiare nemo debet. 89
Conſilium qui reſpuit inſano cuidam perſimilis. 90
Conſiliarij Principibus neceſſarij. 86.87.88
Conſiliarijs quomodo vtendum ſit. 106.107
Conſiliarios praui Principis Deus obcæcat. 176.108
Conſiliarius in Rep. vt Proreta in naui. 88
Conſiliarius prauus eo perniciosior quo doctior. 94. 95. 96.
Conſiliarius prauus ſimilis fructibus, qui naſcuntur in Sodomis. 103
Conſiliarius ſolers & prauus omnia ad ſuam vtilitatem refert. 95
Corallium ſymbolum Viri conſtantis. 135
Crudelitas ingentium malorum ſeminarium. 9
ria plures boni defecerunt, quam mali profecerunt. pag. 123
Cycnorum, & Hirundinum fabella. 133
S. Cypriani locus correctus in ſerm. de Ieiunio & Tentat. Chriſti. 75.76

D

DAuid manu idoneus. 9 *prudens.* 19. *ſeuerus in impios.* 151. 152. *Muſicen ac pietatem conuertit.* 9. *eius Pietatem Deus ipſe teſtatur & prædicat.* 31. *Non modo palam, ſed clam etiam Dauid Innocentiam colebat.* 24
Dauidis lapſus hominibus profuit. 25. *à mendacij culpa Dauid vindicatur.* 148. 149. *Præcipitis iudicij arguitur.* 68. 69. *Ab hac reprehenſione defenditur.* 70. 71
Dæmon Belial. 39
Dæmonis beneficia maleficia ſunt. 44
Dæmones Ethnicorum etiam ſententia hominibus inuidi & exitioſi. 43
ad Dæmonis opem confugere

gere omnino impium. pag. 40.41
Dæmon Dei æmulus. 44. Nullam homini cum Dæmone debet eſſe commercium, 42
Dæmoniaca remedia vetita. 46
Dei clementia. 4.5.6.7.
Demetrij Phalerai laus. 30
Deo duce actiones auſpicandæ. 20
Deo quicquid contrarium eſt, abominari debemus. 40
Deus tanquam exemplar Principibus ad imitandum proponitur. 4
Deus figulo comparatur. pag. 5
Dignitates cum in indignos conferuntur vileſcunt. 115
Dionyſius Siciliæ Rex conſpuit Ariſtippum. 81
Diſpſadis morſus ambitio. pag. 83
Diuinæ opi, labor, et induſtria noſtra iungenda eſt. 22
Diuitiæ veræ. 125
Doctrinam vanam calami, & iunci ſignificant. 82
Doloſus homo Aulæ pernicies. 145. egeſtate confici ſolet. ibid.
Dona hoſtium, non dona. 44
Donatiſtarum querelæ. 165

E

Echini natura. 110
Electio Magiſtratuum cuiuſmodi eſſe debeat. pag. 114
Electio Magiſtratuum temere facta magnarum turbarum cauſſa. 112
Electio Magiſtratuum bona, ſimilis bonæ naui, bono gladio, &c. 114
Elephantus Aulici ambitioſi ſymbolum. 76
Equis dormientibus ambitioſi comparantur. 119
Equis præcipitibus ambitioſi comparentur. 117
Equus C. Caligulæ dictus Incitatus. 117
S. Eucherij locus de obtrectatoribus Principum. 116
Excommunicatio. 160
per Exempla breue ad Virtutem iter. 1

F

Fabella de Vulpe, eiuſque catulis. 88

Fa-

Fabella Platonis de Penia, ſeu Paupertate. 92
Fama conſpurcata difficile priſtino ſuo nitori reſtitui-tur. 143
Famuli vitioſi, Principis famam inquinant. 142
Fidei Orthodoxæ deſertores, tanquam iuuenci indomiti. 50
Fidere nemo ſibi in rebus arduis debet. 87
Figulo Deus comparatur. pag. 5
Fuga vitiorum. 28
Futurorum prænoſcendi cupiditas quo miſeriarum quoſdam adduxit. 46

G

Gennadius Africæ *Exarchus, quod Hæreticos perſequeretur, a* S. Grego*rio Magno laudatur.* 166
Gladius materialis & ſpiritalis Eccleſiæ. 161.162
Gloriæ deſiderium diuinitus in animis inſitum. pag. 109.110
S.Gregorij Nazianzeni de Cycnis & Hirundinibus apologus. 133
Eiuſdem de caſtigandis Apollinariſtis ſententia. 167
S.Gregorij Niſſeni *locus de myſtica Animorum harmonia.* 15.16.17
Eiuſdem de Moſe. 135
S.Gregorius Magnus oculis alienis ad quærendos Viros Epiſcopatui idoneos vſus eſt. 123. *Dauidi patrocinatur.* 71. *Coram* S. Gregorio *mali ſubſiſtere non audebant.* 60

G

Hamus lucrum ſignificat. 81
Harmonia Virtutum. pag. 16.17
Hebræa Gens habuit ſummos Philoſophos. 128
Hebræi futurum pro præterito imperfecto vſurpant. pag. 23
Hebræi Reges, primarios Viros menſæ ſuæ adhibebant pag. 74
Hebræorum, vitæ innocentiam negligentium, vana in Arca fœderis confidentia. 30

Digitized by Google

Hæretica libertate nihil ſer-uilius. 164
Hæretici a ſua prauitate primum Excommunicatione, tum ſupplicij metu auocandi 160. 161
Hæreticos deteriores facit Indulgentia. 167. 168
Herodes, qui S. Iohannem occidi permiſit, indignus nomine Regis. 28. 29
Herodoti locus de calumnia. pag. 65
Hercules Viri ſapientis ſymbolum. 59
Heſiodi opinione quiſnam ſit Vir optimus. 86
S. Hieronymi, de Dauide Miphiboſethum iudicante, ſententia. 69. 70
Idem adoleſcentulos increpat, qui fauces collinebant, vt ſuauius canerent. 12
Hirundinum, & Cycnorum fabella. 133
Honores qui dantur ambitioſis paruifiunt. 115
ad Honores pauci Virtute contendunt. 110
Humanæ Naturæ infirmitas. 98
Hydrops ambitio eſt. 83
Hypocritæ Principes deſpicabiles. 37. iidem a Deo puniuntur. 37

I

Imperatores Catholici Hæreticos punierunt. pag. 169
Imperium firmatur Clementia. 9
Impiorum hominum familiaritas. 48. 51
Impium hominem, & Impietatem ſignificat hæc vox Belial. 50
Improbus homo ſolertia, & conſilio armatus, fugiendus eſt. 97. 98. 99
Impurus homo indignus, qui alijs imperet. 29
Innocens corde quis. 26
Inſatiabilitas ambitioſorum. 79. 80. Porco & Cani ſimilis. 83
Ioſephus Patriarcha Viri Ciuilis norma. 129
S. Irenæus de leni Dei in Adamum animaduerſione. 5
Iſaacus bonorum Ciuium exemplum. 33. Quot annos natus eſſet cum ſacrificari iuſſus eſt. 33

S. Iſi-

Digitized by Google

S. Iſidori Peluſiotæ de prauorum hominum conſuetudine 142
Iudæi non ſunt perſequendi. pag. 176. 177
Iudæi olim publicæ ſecuritatis hoſtes. 171. 172. 173
Iudæorum odium in Chriſtianos. 171
Iudicium interdum pro Clementia in ſacris litteris accipitur. 2
Iudicium de moribus difficile. 111. 113
Iuliani Apoſtatæ Aulici. 80. Mali Conſiliarij. 98
Iuliani Rhetoris dictum de Sagittario. 122
Iulianus Apoſtata moderate tulit obtrectatores. 117
Iulius Cæſar Imp. moderate tulit maledicorum petulantiam. 117
Iuſtitia firmatur Thronus Regis. 169. 170

L

Latini Pacati locus de Theodoſio. 139
Leges inſtar Regulæ Lesbiæ. pag. 3
Leges corrigere, ſummi dumtaxat Principis eſt. 3
Leonis Imp. Oratio de S. Iohanne Baptiſta. 28. 29
Leontij Epiſcopi Arab. de fuga Adami ſententia. pag. 5
Leuiathan ſymbolum Calumniatoris. 64. 65
Lex ſpirans & viua Princeps. 3
Librorum bonorum lectio Imperantibus vtilis. 58
Lingua obtrectatoris exciſa interdum fit vocalior. pag. 117
Longæ manus Principibus. pag. 125
Lucilij Baſsi perfidia. 110

M

ad Magiſtratus gerendos Viri virtute præcellentes, vel inuiti compellendi. 124
Magiſtratuum nundinatio omnis nequitiæ fons. 120
Magiſtratuum conniuentium culpa, hæreſes propagantur. 154. 155
Maledici quomodo a Principe tractandi ſint. 117. 118
Malorum hominum conſuetudo exitioſa. 59
Matutinum tempus diligentiam

tiam ſignificat. 152
Sinceritatem etiam & prudentiam. 153
Medici publici morum, Magiſtratus. 155
Mediolanenſis Eccleſia multis modis capiebatur S. Auguſtinus. 13
Mendacium Deus odit. 146
Mendacium humanam ſocietatem dirimit. 146
Mendacium, nonnullis tanquam res indifferens probatur. 147
Mendacium S. Auguſtini, & Ariſtotelis, ac Theologorum ſententia, res eſt per ſe mala. 146
Menſa argumentum & cuſtos Amicitiæ. 74
Miniſter improbus eo pernicioſior, quo doctior. 96
Miphiboſethum Siba criminatur. 68. 69
Modeſtia cum imperitia coniuncta utilior, quam peritia cum immodeſtia. 96
Mores corrumpit improborum conſuetudo. 59
Mortalium nemo eſt, qui ex optimo peſſimus fieri non poſſit. 137
Moſes, quam cautus in eligendo ſucceſſore. 113
Idem Princeps prudentiſſimus. 129. Aaronis opinionem magis quam ſuam probat. 91
Regiam Aegypti dignitatem ſpernit. 135
Muſica effœminata. 11. 12. 13.

N

Naus bonæ ſimilis bonus magiſtratus. 134
Nequitia ſub perſona probitatis latitans. 113
Niniue poſt pœnitentiam deſciuit a Deo. 50
Nobiles flagitioſi in honorum petitione non ſunt anteferendi obſcuris, qui ſint probi & induſtrij. 61
Nobiles inertes platanis perſimiles. 61
de Nobilibus virtutis expertibus Ariſtotelis iudicium. pag. 63. 64
Nobilitas vitia detegit. 62

O

Obtrectationem Viri probi fugiunt. 116
Oculi curam ſignificant. 85
Oculi hamati Behemoth idest

ideſt ambitioſi. 80.81
Oculi Principis ſunt acris iudi ij, fideique incorruptæ miniſtri. 122
Oculis arquatis ſimiles miniſtri auari & ambitioſi. pag. 123. 124
Oculos ſuos Princeps, modo ipſe velit, in extremas etiam teerarum oras intendit. 121
Oculus Principis probus Conſiliarius. 88
Optatus Mileuitanus Macarium Præfectum defendit aduerſus Donatiſtas. 165. 166
Os Principi Criminatorem audienti, diligenter cuſtodiendum eſt. 73

P

Paludi, in qua Behemoth ſtabulatur ſiue Aula eſt, ſiue Ambitio. 77
Patientia ſeruilis ambitioſorum. 81
Peccantes puniuntur, aut vt emendentur, aut vt ceteris exemplo ſint. 3
S. Petrus electionem S. Matthiæ Deo permiſit. 113
Pietas perfectio reliquarum virtutum. 31. 32
Pietas imperia ſtabilit & conſeruat. 32. 169
Pietas aliquorum vera, aliquorum mentita. 33
Pij Principis Deus ſocius & vindex. 169
S. Philippus Nerius, qua ratione delicatorum illorum, qui monitoris faciem ferre nequeunt, ſaluti conſulebat. 58
Philiſtus Hiſtoricus conſilio corrupit Dionyſium. 100
Philo Iudæus Diuinæ Clementiæ morem eleganter expreſſit. 4
Philonis Iudæi ſententia de nobilibus vitioſis. 60
Philoſophicum ocium Reip. fructuoſum. 133
Philoſophi magnanimi. 134. *Non ad contemplandum ſolum, ſed & ad agendum aptiſſimi.* 126.127
Plato mendacium Magiſtratibus conceſſit. 147
Idem quantum conſilio tribuerit. 86. *Vtilis Dioni.* 130. *Eius fabella.* 72.
Plutarchi liber de diſcrimine adulatoris & amici. 57

Polypus ſymbolum adulatoris. 54
Poſteritati lingua comprimi non poteſt. 117
Princeps, ad quem ſit facilis aditus, a populis valde amatur. 134
Princeps eſt ſpirans, & viua lex. 3
Princeps felix, qui bonis Conſiliarijs vtitur bene. pag. 103
Princeps patienter audiat Conſiliarios vera loquentes. 102
Princeps ne conſilium proborum cum aſſentatoribus communicet. 105
Principi neceſſarium alienum conſilium. 93
Principes boni tanquam Sol libenter aſpiciuntur. 139
Princeps mendaces, ac ſubdolos arceat. 144. 145
Princeps animum ciuili erudiat diſciplina & Hiſtoria. 22
Princeps tunc recte omnia agēt cum ipſi Deus aderit. pag. 17
Princeps Catholicus Chriſtianæ Religionis non Iudex eſt, ſed Cuſtos, & Vindex. pag. 158. 169
Princeps hypocrita deſpicabilis. 36. 37
Principes, qui Hæreticos ſeueris legibus coercuerunt. pag. 169
Principem pium ſubditi venerantur, hoſtes reformidant. 170
Principis praui Conſiliarij a Deo obcæcantur. 107. 108
Principum aures Calumniæ clauſas eſſe oportet. 73
Principijs impietatis obſtandum. 152
Præuaricator quis. 52
Procopius Dauidi patrocinatur. 72
Prudentia moralium Virtutum chorum regit. 19
Prudentia quomodo comparanda ſit. 17
Prudentia ſola Imperantis Virtus. 19
Prudens qui eſſe velit, prudentiam ab Aeterna Prudentia petat. 73
Prudentiam Deus diſpenſat. pag. 22
Prudens feliciter omnia aggreditur proque voto peragit. 20
Prudens adulationem cogno-

gnoſcit. 56. 57
Prudentia maior pecunia & exercitibus, 21
Prudentibus fruſtra parantur doli. 145
Pſallit bene qui virtutum concentu Deo placere ſtudet. 15. 17
Pſalterij forma. 15
Pſalterium barbarum. 10
Pſylli non timent venena. pag. 101

R

Regia & Eccleſiaſtica poteſtas vt anima & corpus. 159
Regium præcipue eſt ,ſui ipſius regem eſſe. 28
Regulæ Lesbiæ inſtar leges. 3
Religionis cauſſa omnium cauſſarum grauiſſima. 152
Remedia Dæmoniaca vetita. 45
Romanorum Iudicum mos. pag. 73
Rutilius de Iudæorum ingenio. 173

S

Sacerdotum Iudæorum oſcitantia. 156. 157
Sagittario comparatur qui Viros ad magiſtratus legit. 322
Salices ſymbolum infelicitatis & repentinæ felicitatis. 78
Salomon Rex conſilio Seniorum vtebatur. 91
Sapientum inopia diuina vltio. 131
Sapiens prauorum potentiæ obnoxius non eſt. 135
Sapientes aliquos in omnibus ſæculis Deus voluit exiſtere. 128
Sapiens etiam interdum peccat. 72
Sapienti conſilium alienum prodeſt. 87
Saulis ſimulata pietas infelicem habuit exitum. 38
Saul cur appellatus Chus. 38
Secta Iudæorum. 156. 157
Seneca dictum de Nobilitate reprehenditur. 61
Sennacherib. impietas. 50
Sibæ criminatio. 68
Simplicij locus de Philoſopho. pag. 127
Societas vitioſorum exitioſa. pag. 59
Socrates Senator & miles, pag. 129

Somnus ambitioſorum quis. pag 78
Stoici ſapienti non adimunt conſilium. 87
Superbi ſunt amentes. 144
Symmachi locus de Theodoſio. pag. 121

T

TErpander harmoniam Doricã ad barbari, hoc eſt Dauidici Pſalterij grauitatem conformauit. 10
Theodoretus de Ioſia, hunc Pſalmum centeſimum exponit. 150
Eiuſdem locus de laude Moſis. 129
Theodoſius Imper. ſubditis cariſſimus. 39
Eiuſdem perpetua in ſuos cenſura. 103
Theodoſius longe intendit oculos, vt bonos magiſtratus eligat. 121
Titus Imper. ſeuerus in Calumniatores. 67
Traianus ſeuerus in Calumniatores. 67
Tribonianus conſilio corrupit Iuſtinianum Imper. 100. 101

V

VEnantij Honorij locus de Regno Dei. 125
Virum incorruptum raro inuenies. 109. 110
Virtus vera à ficta quomodo dignoſcatur. 103
Virtus in dandis honoribus ſpectanda. 61
Virtutum concentus diuinis auribus iocundiſſimus. 17
Vnguentum bonam famam ſignificat. 142
Vulgus conſilia & actiones ex euentu metitur. 105
Vxorem qui ducit non forma mulieris, ſed fama duci debet. 114
Vuiſigothorum lex de Calumniatoribus. 68
Vulpes magiſtra eius eſt, qui alienum conſilium reſpuit. pag. 88. 89

X

XEnophon ſtrenuiſſimus Imper. idemque ſummus Philoſophus. 130

Z

ZEnonis Cittienſis de illo, qui parere ſtudet bono Conſiliario ſententia. 89

F I N I S.

IGY 1155310

Digitized by Google

oogle